Josephi Quarin ... De curandis febribus et inflammationibus commentatio / [Joseph Quarin].

Contributors

Quarin, Joseph, Freiherr von, 1733-1814.

Publication/Creation

Viennœ : Rudolphum Græfferum, 1781.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/k75u9xju

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

42533/B

lo 1159-246
SB3
Cat 6.9

75603

JOSEPHI QUARIN,

SACRÆ CÆS. REG. APOST. MAJEST. CONSIL. ET ARCHIATRI, IN NOSOCOM. FRATR. MISERIC. PHYSICI PRIMARII ET VARIARUM ACAD. MEMBRI.

DE CURANDIS FEBRIBUS ET INFLAMMATIONIBUS COMMENTATIO.

VIENNÆ,

APUD RUDOLPHUM GRÆFFERUM, 1781.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

ILLUSTRISSIMO VIRO

THOMÆ IGNATIO

LIBERO BARONI

DE

POECK,

SACRÆ CÆSAREÆ APOSTOLICÆ

MAJESTATIS

A CONSILIIS

REG. INFERIOR. AUSTRIÆ

CANCELLARIO

ORDINIS REGII S. STEPHANI

EQUITI

AVUNCULO SUO

HAS PAGINAS DEDICAT

Devotus Autor.

Τῆς ὑγιείας πλείστην ἐπιμέλειαν ἔχομεν. Isocr.
ad Demon.

PRÆFATIO.

Divenditis, quos de ratione medendarum febrium & inflammationum conſcripſeram, libellis, novamque editionem urgente bibliopola eo lubentius manum poliendo operi admovi, quod exploratum mihi erat, omnibus id artis peritis, unum ſi demas, (a) probatum fuiſſe. Sed quæ materies duos in tomulos diſpertita prius erat, eam nunc uno complexus ſum propterea, quod perſæpe ſimilis ſit utrique morbo meden-

(a) Joh. Clemens Tode. Medic. Chirurg. Bibliothek zweyt. B. dritt. St. S. 45. Dritt. B. dritt. St. S. 55.

dendi ratio. Acceſſere tamen additamenta quædam, at non copioſa admodum, nam & prolixus eſſe metuebam & obſervationes, quæ quidem inſignem aliquam utilitatem adferre poſſent, diu quamvis, multumque veſtiganti paucæ ſane occurrunt; at illas, quas de morbis chronicis vulgaturum me receperam, animadverſiones propediem editurus ſum; ne citius in lucem prodirent, ampliſſima praxis, morbi, quibuscum conflictabar & varia, eaque longiora aliquando itinera in cauſa fuere.

INDEX CAPITUM.

CAPUT I.

Pag.

De Febribus in genere. 1

CAPUT II.

De Synocho non putrida. 9

CAPUT III.

De Febre ardente. 25

CAPUT IV.

De Febre putrida. 48

CAPUT V.

De Febre maligna. 86

CAPUT VI.

De Miliaribus. 96

CA-

INDEX.

CAPUT VII.

Pag.

De Petechiis. 108

CAPUT VIII.

De Variolis. 114

CAPUT IX.

De Morbillis. 130

CAPUT X.

De Erysipelate. 138

CAPUT XI.

De Scarlatina. 147

CAPUT XII.

De Febribus intermittentibus. 152

CAPUT XIII.

De Inflammatione in genere. 190

CA-

INDEX.

CAPUT XIV.

Pag.

De Phrenitide. 210

CAPUT XV.

De Angina inflammatoria. 223

Scirrhosa. 241

paralytodea. 245

putrida. 247

aquosa. 259

CAPUT XVI.

De Pleuritide. 263

CAPUT XVII.

De Peripneumonia. 293

putrida. 326

notha. 331

CAPUT XVIII.

De Paraphrenitide, Mediastini & Pericardi inflammatione. 336

CA-

INDEX.

CAPUT XIX.

Pag.

De Hepatitide. 340

CAPUT XX.

De Gastritide. 361

CAPUT XXI.

De Colica inflammatoria. 359
flatulenta
biliosa.

CAPUT XXII.

De Ileo. 384

CAPUT XXIII.

De Nephritide. 405

CAPUT XXIV.

De Rheumatismo. 415
Formulæ. 435

CAPUT

CAPUT I.

DE

FEBRIBUS IN GENERE.

Celerior ſanguinis motus cum læſione functionis febris audit.

Conſtat quidem, ſæpius in ægris maligna febre laborantibus pulſum ita ſanorum ſimilem obſervari, ut non raro vel etiam doctiſſimi Medici decipiantur (a). Sic Cel. Tralles monet, quod interdum poſito peſſimæ indolis contagio adeo plenarie, adeo ſubito vires motrices exſtinguan-

(a) Proſper Alpinus Lib. IV. cap. V. pag. 169. de præſagienda vita & morte ægrotantium.

guantur, ut ne quidem febri ſenſibili & manifeſtæ excitandæ ſufficiant, ægerque moriatur citius, quam motus circulatorius in vere febrilem aſſurgat.

Cum vero nemo ſignum pathognomicum febris dederit, & Clar. viri, ut Sauvages, Lieutaud, &c. characterem febrium in viribus pulſus aucti collocent, cum Illuſtr. van Swieten judico, nihil abſurdi implicare febris definitionem, quæ a pulſus velocitate cum læſa functione deſumitur. Uberius circa hæc diſſerit Clar. Platnerus filius (a).

Quæ cordis contractionem augent, ut functio inde lædatur, febrim producunt.

Talia ſunt innumera: aër nimis calidus, frigidus, alimenta & quantitate & qualitate peccantia, animi pathemata, &c.

Nonnunquam ut in conſtitutionibus epidemicis, ignotum febrim faciens aëri inhæret, quod Hippocrates ſub nomine τὸ Θεῖον comprehendit.

Abit

(a) Briefe eines Arztes über den menſchlichen Körper. Thl. II.

Abit febris in ſanitatem, in morbum alium & in mortem.

Lætus in ſanitatem exitus eſt, ſi illud irritans, febrim producens ita ſubigatur, vel demulceatur, ut cum humoribus ſanis per vaſa moveatur, vel denique, dum ſolvitur, evacuetur, aut via inſenſibili, nempe per tranſpirationem, aut per evacuationes ſenſibiles, alvum, urinam, ſudorem, hæmorrhagiam, &c. quæ criticæ dicuntur.

In alium morbum tranſit, ſi febris non adeo valida ſit, ut partes vitales, aut admodum obſtruantur, aut deſtruantur, materies tamen morbi non ſatis evacuatur; quare ad alias partes transfertur, & obſtructiones, inflammationes, ſuppurationes, abſceſſus, hydropes, cachexias generat.

Morte terminatur febris, ſi validiſſimo ejus motu, aut acrimonia humorum inducta vaſa encephali, vel pulmonum, hepatis, &c. valde obſtruantur, aut deſtruantur.

Febre omnia moventur, propelluntur, ſubtilliſſima exprimuntur, craſſa inſpiſſantur, cruda coquuntur, cocta evacuantur; quare febris non ſolum ut morbus eſt conſideranda, verum etiam, prout Sydenha-

mus notavit, ut naturæ inſtrumentum, quo impura a puris ſeparat.

Hinc nonnunquam mitiganda, nonnunquam augenda, aut ſibi relinquenda, ut in ſequentibus patebit.

Noſcitur, ut monui, ſanguinis auctus motus ex pulſu, qui in viris potiſſimum tardior eſt, ſed major, ac in feminis.

Gravidæ celeriorem pulſum, & primis menſibus variabilem habent.

Crebrior quoque pulſus in hominibus minoris ſtaturæ, & in infantibus notatur; his ſimul mollior, ſenibus durior eſt.

In phlegmaticis omni minuto ſecundo pulſus ferit. In cholericis 70, & plures ictus minuti ſpatio numerantur.

Ad veſperas ſemper frequentior pulſus, & poſt paſtum 10, aut 12 vicibus intra minutum arteria crebrius ferit, ac ante refectionem.

Prognoſis eſt diverſa: quo gravior cauſa irritans, eo gravior morbus.

Symptomatum vehementia, ætas, temperamentum, vires ægri, conſtitutio epidemica diverſam faciunt prognoſim. Sic phthiſici, gravidæ accedente febre plus periclitantur.

Indicationes vitales in omnibus febribus primæ ſunt, & omni febris tempore conſiderandæ; ſi vires langueant, erigendæ: ſi excedant, minuendæ ſunt; denique obſtructum eſt reſolvendum, acre irritans demulcendum, crudum coquendum, coctum evacuandum, Symptomata mitiganda.

Ridenda, & damnanda verſipellis illa medicina, quæ mox capiti, mox pectori, aut alvo medens non modo nihil medetur, ſed plurimum nocet.

Neque monente Gaubio ſingulis, ſed urgentibus Symptomatibus medelam opponere oportet, effecta enim morbi hoc, hujusve cauſa ſucciſis ſponte ceſſant, quæ nonnunquam adeo diverſa ſunt, & oppoſita, ut contraria omnino indicent.

De febribus agam frequentius occurrentibus, licet plurimæ aliæ apud Auctores, ut Cel. Sauvages febrium diviſiones legantur.

Sed idem Cl. Vir (a) monet, quod in actuali Medicinæ ſtatu parvi referat ad

(a) Noſolog. methodic. Tom. II. Part. I. pag. 273.

praxim, non ſolum ſpecies, ſed etiam diverſa genera febrium ab invicem accurate diſtinguere.

Freindius aſſerit, quod multi maximi ingenii viri, non juſte attendentes, ſymptomata pro ipſis morbis curare tentent, adeoque plures fingant, quam natura morbos, & monente Tiſſot (a) enormis ille febrium catalogus medicinæ progreſſibus obſtitit quidem, nullatenus vero favente Cœlo numerum morborum auxit.

Febres ſunt epidemicæ, ſeu populo communes; endemicæ, regioni propriæ; ſporadicæ, hunc vel illum invadentes; topicæ, fixam aliquam partem occupantes.

Sunt febres acutæ, quæ cito terminantur, & lentæ, quæ tarde admodum decurrunt; febres continuæ, quæ nullam apyrexiam habent, & febres intermittentes, ubi tempus eſt inter paroxyſmos, quo ægri a febre liberi ſunt.

Continuæ aliquæ, quæ continentes dicuntur, nullam remiſſionem regularem ha-

(a) De febre bilioſa Lauſanenſi pag. 14.

habent, ut Ephemera, Synochus non putris, febris putrida; febres remittentes, licet nunquam ceſſent, certo tamen tempore exacerbantur, ut febris ardens.

Sunt demum febres malignæ; de harum natura, & indole plurimum diſſentiunt Medici.

Mihi febris maligna audit, quæ invadit cum ſubita virium proſtratione, cujus ſymptomata non conſonant perniciei morbi, quaſi clancularias vitæ ſtruerent inſidias, nec reſpondent ſignis externis, ſic ut calor longe mitior adſit, ſitis vix ulla, & pulſus debilis, inæqualis, ſæpe quaſi evaneſcens ſub digito tangentis Medici obſervetur, (a) Pulchre eas deſcribit Clar. Schrœderus, (b) quod reperiantnr continuæ cum incertis horroribus, pervigilio, ſopore, tremoribus, urina pallida, ſubſultu tendinum, motibus convulſivis, floccorum lectione, &c. ſummo plerumque cum periculo, etiamſi cauſæ perturbati ſy-

(a) Lieutand, Sauvages, Swieten.

(b) Opuſcul. medic. Tom. I. pag. 173.

ſtematis nervoſi evidentiores nullas detegas, febresque interdum nec ad putridas, nec ad bilioſas, nec ad inflammatorias referre queas.

Conſpiciuntur & febres exanthematibus ſtipatæ, in quibus vel puſtulæ ultra ſuperficiem cutis prominentes, aut papulæ eandem exaſperantes, aut maculæ alieno eam ipſam colore defædantes naſcuntur.

Intermittentes, ſeu perfectam apyrexiam habentes, dividuntur in quotidianam, tertianam, quartanam, quintanam, quam ſemel mihi videre licuit. Sunt quoque tertianæ, ac quartanæ duplicatæ & triplicatæ.

Denique ſunt hæmitritææ, ſeu ſemitertianæ, quo nomine Celſus illas febres tertianas ſeu ſimplices, ſeu duplicatas vocat, quæ productis admodum paroxyſmis continuas remittentes referunt. Galenus vero hæmitritæam appellat febrim, ex quotidiana protracta, & tertiana intermittente factam. Denique febris continua cum tertiana ſociata quibusdam ad hæmitritæas refertur, quam vero alii rectius Tritæam, ſeu Tritæophiam nominant.

CAPUT

CAPUT II.

DE

SYNOCHO NON PUTRIDA.

Ephemera in Nosocomio vix occurrit, cum spatio 24 horarum terminetur, unde nomen obtinuit.

Causa levis est, ut major ventriculi repletio, transpiratio impedita. Morbus hic diæta, quiete, potu tenui, largiori curatur.

Ephemera per plures dies protracta Synochus non putris audit.

Causæ sunt ac ephemeræ, sed graviores, ut potus spirituosi, consvetæ evacuationes intermissæ, & hæmorrhagiæ suppressæ, &c.

Ad debellandam Synochum non putridam efficaciora reguiruntur auxilia. Si pulsus plenior, durior, major faciei oculorumque rubor, vehementior calor, & pectoris oppressio notetur, maxime si mor-

bus ab hæmorrhagiis consuetis suppressis originem ducat, sanguis mittendus, donec pulsus fiat mollior, calorque minuatur.

Sanguinis detrahendi copiam, aut numerum venæ sectionum determinat ætas, temperamentum, vires, consuetudo.

Juvenes, plethorici, & feminæ communiter largiorem ferunt phlebotomiam.

Ubi alia copiosa evacuatio, ut diarrhæa febri juncta est, minori copia sanguis mittendus.

Parcior quoque venæ sectio instituenda in hystericis, hypochondriacis, male nutritis, in infantibus & ætate admodum provectis; sed & in his non tam annos numerare, quam vires ægrotantis æstimare debet Medicus.

Macilentis potissimum plus sanguinis detrahendum, cum his sanguis, pleniori-bus vero magis caro abundet.

Morbi vernales, hinc & hæ febres multo facilius venæ sectionem admittunt, quam autumnales, dum priores plus de inflammatorio, ultimæ de putrido participant.

Notante Huxhamo amplior convenit phlebotomia sicco cælo, quam humido.

Caven-

Cavendum tamen ab ea venæ ſectione in morbis acutis, quæ febrim nimis cito jugulat, cum hæc requiratur, ut impura a puris ſecernantur, & e corpore excernantur.

Tiſſot exempla 20 & plurium venæ ſectionum intra duos dies inſtitutarum reffert; monet autem, quod licet natura quandoque reſtiterit ictui huic lethali, ignorantiam tamen Chirurgorum, & Medicorum probaverit.

Ubi magnam copiam ſanguinis detrahere oportet, aut parva inciſio facienda eſt, aut apertura venæ digito comprimi poteſt, ne nimio impetu cruor effluat, hoc modo longe largiorem ſanguinis miſſionem ferunt ægri.

Si amarities oris, nauſea, vomendi conatus, ructus ova putrida redolentes, oppreſſio ad ſcrobiculum cordis notentur, maxime ubi morbus ex nimia ventriculi repletione, quod ex relatione ægri noſcitur, originem duxit, acida, aquoſa, nitrata exhibenda ad materiem acrem corrigendam, his mox non proficientibus, vomitorium neceſſarium. Haud alio utique modo expurganda eſt, notante Huxhamo, colluvies

ſto-

ſtomachi bilioſa multorum ſæpe morborum origo & fomes, & Illuſtr. van Swieten docet, quod, ſi nauſea a quovis aſſumpto, quantumvis grato augeatur, nihil ſuperſit, quam ut vomitorio dato ſurſum expellatur.

Neque tardandum eſſe in vomitorio exhibendo vult Valcarenghi, (a) dum ait: confert maxime, ut cito & affatim noxia e ventriculo eliminetur materies, quæ cum paulatim exit, majorem diuturnioremque moleſtiam ægris adferre ſolet.

Scrupulus Ipecacuanhæ cum grano tartari emetici optime ſatisfacit. Multi a paucis Ipecacuanhæ granis eundem effectum, ac a maxima doſi exſpectant, ſed id a cortice præcipue ſperandum, cujus granis vj majorem virtutem ineſſe, ac xxx. aliis Pariſini notant: hinc Zimmermanus (b) monet, quod parva Ipecacuanhæ doſis non ſemper ſufficiat.

Tartarus emeticus additur ad viſcidum bilioſo forte junctum attenuandum, ejiciendum

(a) De præcipuis febribus ſpecimen practicum pag. 93.

(b) Von der Ruhr unter dem Volke S. 81.

dumque, cum ut ſupra laudatus Zimmermann obſervat, ſola Ipecacuancha in pituita repleto, hinc minus ſenſibili, ac difficilius irritabili ſtomacho ſufficientem effectum non præſtet. Cel. Murray (a) granum unum, vel alterum tartari emetici ſcrupulo Ipecacuanhæ ſtimuli cauſa feliciter junxit, ſi ſaburra tenacior vexabat.

Peſſimus mos eſt, ſola aqua calida emeſim excitare, ingens hujus requiritur quantitas, hinc ſæpe ventriculus grave pondus excutere nequit, indè ejus debilitas, & peſſima mala oriuntur.

Poſt quemlibet vomitum aqua tepida haurienda, facilius ſic vomunt ægri, & facilius materia ad vomitum diſponitur.

Ubi venæ ſectio indicatur, vomitorio præmittenda.

In herniofis, gibboſis, gravidis, hæmoptoicis, phthiſicis, admodum cacochymicis, inflammatione, obſtructione, ſuppuratione cujusdam viſceris laborantibus vomitorii loco purgantia antiphlogiſtica ex ta-

(a) Apparatus Medicaminum Tom. I. pag. 528.

tamarindis, caſſia, cremore tartari propinanda; (Nro. 1. 2. 3.) ab omnibus fortioribus purgantibus abſtinendum; quia illa, quæ copioſas evacuationes faciunt, perſpirationem impediunt, quod a levioribus non timendum, quæ corpus vix mutant obſervante Sanctorio.

Aqua laxativa Diſpenſatorii Viennenſis ad Uncias quinque, vel ſex egregium eſt purgans antiphlogiſticum, ſed non nimis diu aſſervata eſſe debet, cum aceſcat.

In gravidis tamen neceſſitas eſt leve vomitorium exhibendi, ſi os valde amarum, ingens anxietas ad præcordia, perpetua nauſea, vomituritiones obſerventur.

Dum in Synocho non putrida alvus pauca, magnus dolor capitis, abdominis & lumborum ægrum vexat, clyſma convenit, (Nro. 4) quod nec nimis calidum aut frigidum applicandum, & cavendum, ne, dum ſudanti admodum ægro injicitur, hic nimium refrigerium patiatur.

Si vomitorii neceſſitas, & æger diuturna antea laboravit alvi obſtructione, enema prius dandum, ſic emollito abdomine corpus ſimul ad alvi excretionem diſpo-

ni-

nitur, & minus periculum eſt, ut humores tanta vi ad ſuperiora ferantur.

Diu jejunantibus ſæpe appetitus perit, nauſea & febris oritur a bile acriore facta, quæ in jejuno homine conſtanter in ventriculum fluit. (a) In his a purgantibus abſtinendum eſt, ſed diluentia bilis acrimoniam corrigentia, & corpus leniter replentia conveniunt, ut cremor hordei cum ſucco citri, acetoſa juri carnium incocta, panatela, fructus horæi; ſi vero nauſea pertinax ſit, ſerum lactis tamarindinatum exhibere convenit.

Evacuatis primis viis remedia conveniunt, ſanguinem attenuantia, & absque augmento velocitatis ſolventia, ſimulque putredini reſiſtentia, cum humores aut ſpiſſitudine, aut acrimonia peccent, hinc diluentia aquoſa, acida, nitrata conducunt, unde plurimæ formulæ ex decocto hordei, aceto, ſucco citri, oxymelle, ſyrupis ex fructibus horæis paratis, cum ſale polychreſto, arcano duplicato, nitro locum habent. (Nro 5. 6.).

Hor-

(a) Morgagnius Advers. III. pag. 66.

Hordeum aliquid glutinosi lentoris aquæ addit, ne nimis cito per urinam, aut sudores dilabatur; oxymel & succi ex fructibus horæis, & syrupi nimium sanguinis lentorem dividunt, saponacea sua vi oleum aquæ miscibile reddunt, & dum spontanea degeneratione in acidum abeunt, putredini resistunt, sitimque tollunt.

Nitrum, quod densitatem phlogisticam corrigit, calorem minuit, & viribus corporis nostri sine augmento velocitatis facile subigitur, prioribus remediis jungendum est.

Ubi lauta vita prægressa, appetitus minor, alvus segnior est, salia media ad dr. IV. VI. de die sumpta pulcherrimos effectus præstant, quod a solis diluentibus & acidis vix exspectandum; solvunt enim, faciuntque, ut ægri bis, aut ter de die cum euphoria alvum deponant, sic glutinosum bilioso junctum attenuatur, & cum hærente adhuc fere semper saburra in primis viis evacuatur, simul humorum copia minuitur. Homines enim laute viventes, corpus non exercentes, plura alimenta ingerunt, hinc necesse est, ut plus saburræ in

primis

primis viis, plusque ſanguinis & humorum naſcatur.

Sal mirabile Glauberi tartaro vitriolato, ſali polychreſto, arcano duplicato præponitur, cum facilius in aqua ſolvatur & ob minorem amaritiem ægris minus diſpliceat.

Multis præcipue Italis conſuetum eſt, ſordes in primis viis hærentes rhabarbarinis expurgare, ſed cum Clar. Geoffroy obſervavi, calorem pharmaco hoc ſumpto augeri: Septalius mediolanenſis Medicus in febribus æſtuoſis ob eandem rationem rhei uſum improbavit.

Pro potu inſervire poteſt decoctum hordei cum oxymelle, & pauco nitro, (Nro. 6.) vel potus ille, qui Italis limonada vocatur & ex ſucco citri aqua diluto, ſaccharo ad gratiam edulcorato conficitur; cavendum, ne ut pro ſanis parari ſolet, conciliandæ ſuavitatis gratia ſaccharum ad cortices citri affrictum addatur, continet enim cortex citri magnam quantitatem olei eſſentialis, quod ſaccharo junctum eleoſacchari forma ingeſtum motum humorum auget & bilem incendit.

Emulſa ex ſeminibus melonum, cucumerum, amygdalis proſunt; (Nro. 7.) in his enim olei virtus, qua inviſcat & obtundit omnem acrimoniam, manet & futuræ ranciditatis metus abeſt.

Potus pauca copia, ſed ſæpius dandus, ſic melius ſanguini miſcetur; neque ita facile ex corpore expellitur, caveturque, ne a nimis diſtento ventriculo anxietas, nauſea, vomitus oriatur.

Synochus non putris ex tranſpiratione ſuppreſſa orta, quod communiter accidit, dum majorem calorem ſubitum frigus excipit, & quod ex relatione ægri patet, interne theata diluentia, leniter diaphoretica, ſolventia, ut mixturam, (Nro. 8. 9.) decoctum graminis, infuſum florum ſambuci cum nitro, melle & oxymelle largiter hauriendum poſcit, pediluvia tepida, & alvo obſtructa clyſmata neceſſaria ſunt.

Pulſus durus, plenus, magnus calor, faciei rubor, &c. venæ ſectionem ſubito indicat, & refrigerantia (Nro. 4.5.6.) ſuperius dicta in uſum vocanda ſunt.

Nimius cubiculi calor, ſtragulorum pondus, medicamenta ſtimulantia evitanda,

ne

ne ſanguis in nimium motum urgeatur & levis ſynochus non putrida in gravem morbum inflammatorium mutetur.

Diæta in ſynocho non putrida ſit tenuis ex panatella, cremore hordei, & quia Auſtriaci adeo juribus carnium aſſueti ſunt, iis concedi debent, cum a multo tempore conſueta, etiamſi deteriora fuerint, inſuetis minus turbare ſoleant. Succus citri addendus, ut proclivitas in putredinem corrigatur.

A juſculis pinque ſupernatans ſollicite auferendum, ne debilem ventriculum offendat cito ranceſcens hoc oleum.

Fructus horæi, ceraſa, prunellæ, pruna, poma borſtorfiana alvum movent & ob gratum acorem ſitim, caloremque minuunt; dum cocta ſunt, minus flatus generant.

Cubiculum ſit moderate calidum, hinc æſtate aperiendum, tranſitus tamen aëris per rimam anguſtam, aut per feneſtras vel portas oppoſitas ad lectum ægri vitandus. In thermometro Bianchiano ſeu Reaumuriano temperies aëris pro ægrotis (chaleur des chambres des malades) male figitur ad gradum 17^{mum}, qui in Faren-

haitiano 70mo correſpondet. Optimus gradus caloris eſt, qui in thermometro Farenhaitiano inter 60mum & 63tium habetur

Monendi ægri, ne ſtragulis plumis repletiſſimis (quæ in Auſtria conſueta ſunt) corpus tegatur.

Terminatur hæc febris tertia, quarta, ſeptima die. Rarius hanc excurrit. Nonnunquam ubi a nimia ventriculi repletione malum ortum, ſaburra per emeticum excuſſa ſine alia evacuatione notabiliore febris ceſſat.

Inde videtur neceſſitas vomitorium hic Viennæ non ratione climatis, ſed vivendi generis, ubi plurimæ febres nimiæ repletioni ſtomachi maxime per carnes originem debent. Hinc Baglivius monuit, quod aliter in morbis curandis tractandi ſint Itali ſub aduſto climate & ſobrie viventes, aliter Galli, Hiſpani, Germani, aliique ſua quique utentes aëris temperie & ſuo quique victus genere.

Sollicite ſemper inquirere in cauſam morbi debet Medicus, & teſte Illuſtr. van Swieten (a), non melior in medicina canon

(a) Tom. I. pag. 58.

non eſt, quam ille, quod in curandis morbis ſemper ad cauſam primam, unde omnia reliqua fluxerunt, ſit reſpiciendum, ex hoc fundamento ſola certa & valida auxilia deduci poſſunt.

Criſes ſunt variæ per urinam, alvum, ſudorem, diarrhæam: aphthæ quandoque diebus criticis prodeunt, & a van Swieten (b) inter imperfectas criſes numerantur; mihi eas cum febre nunquam videre contigit, niſi elapſo anno, ubi in graviſſimis febribus potius ſummam humorum ad putredinem diſpoſitionem, quam criſim notabant.

Diarrhæam præcedunt nonnunquam borborygmi, tormina, murmura & comotiones ventris, hypochondria elevata, dolor lumborum. Autumno crebrior eſt criſis per alvum.

Ante hæmorrhagiam narium notatur rubedo oculorum, temporum gravitas, viſus hebetudo, acutus occipitis dolor, lacrymæ involuntariæ, narium pruritus, quandoque pulſus dicrotus, ubi in diaſtole arteria bis ferit digitum tangentis, antequam ſyſtole ſequatur.

(a) Tom. III. pag. 203.

Sanguineis, laute paſtis, vel ubi morbus a conſuetis hæmorrhagiis ſuppreſſis, abuſu ſpirituoſorum ortus, frequentior eſt narium hæmorrhagia.

In ſubjectis carnem mollem & humidam habentibus, & ubi febris ex impedita tranſpiratione, ſudor quandoque morbum tollit, tunc urina eſt parcior, cutis mollis, corpus æquali vapore calet, pulſus mollis, undoſus.

Criticam per urinam evacuationem præcedunt gravitas hypochondriorum, lumborum, circa pudenda ardoris quidam ſenſus, aucta urinæ quantitas. Tempeſtate frigidiore, & ubi morbus ex tranſpiratione ſuppreſſa natus, frequentior hæc criſis.

Criticas has eſſe evacuationes docet levamen, ſic teſtante Hippocrate: Si talia purgentur, qualia purgare oportet, confert & facile ferunt.

Accidunt autem criſes in morbis acutis diebus potiſſimum quaternariis, ut 4to, 7mo, 14to, &c.

In noſtris regionibus non videntur ita occurrere criſes, ut veteres obſervarunt, ob cœli noſtri naturam, vitam in-

tem-

temperantem, exhibita pharmaca, & crebriores institutas venæ sectiones.

Prout febris minuitur, ita successive cibi augeri possunt.

Dum febris integre abest & carnes teneræ concedendæ.

Assuetis etiam plus nutrimenti dandum. Sic Ill. van Swieten historiam strenui potatoris habet, qui venæ sectione, victu tenuissimo & dilutissimo potu ad extrema fere redactus vini rhenani poculo, & jure carnium refocillatis viribus brevi a periculoso morbo evasit.

Senes facillime jejunium ferunt; secundo ætate consistentes; minime adolescentes, omnium minime autem ex his, qui inter hos sunt alacriores.

Reconvalescentes sæpius, sed parcius comedant, facile digerenda, nec variæ speciei alimenta.

Cœna sit parca tum quia reconvalescentes ad vesperas ut plurimum pejus valent, tum quia somnus inde turbatur.

Crebriores sed parvæ refectiones conveniunt.

Potus quantitas Successive minuenda, ne aut ventriculus nimis debilitetur, aut tumere incipiant ægri.

Post febres continuas alvus sæpius tardior est, ita ut per duas, aut tres dies eam non excernant; si nullum inde incommodum, nil movendum; si vero dolor capitis, anxietas, tensio abdominis sequatur, clysma applicandum.

Lectus brevi deserendus est, quia & sanus ei affixus inde debilitatur.



CAPUT

CAPUT III.

DE

FEBRE ARDENTE.

Febris ardens eſt continua remittens cum ardore digitum fere tangentis urente, ſiti inexplebili, ſiccitate corporis, dolore capitis, reſpiratione difficiliori, urina pauciore & rubra, pulſu duriore, ac pleniore.

Viri, juvenes, fibra ſtricta & rigida gaudentes, aromaticis ſpirituoſis abutentes; in aëre calido & ſicco viventes; corpus nimium exercentes, vel & ii, quibus conſuetæ hæmorrhagiæ ſuppreſſæ ſunt, ut plurimum hoc morbo corripiuntur.

Differt ardens ab hæmitritæa ſymptomatum intenſitate, & quod frigus non habeat tempore exacerbationis, ſed æſtum majorem.

Morbus eſt periculoſus; ubi lingua, fauces humectantur, alvus libera, urina minus colorata, æquabilis calor per totum

corpus ad extrema usque diffusus deprehenditur, spes optima est valetudinis recuperandæ, cum vasa pervia & humores meabiles significet; si autem urina tenuis & alba, summus calor circa vitalia cum extremorum frigore; si parotis non suppuret, neque alia superveniat evacuatio; si sanguinis sputum, aut urinæ cruentæ mictus, deliria ferocissima, respiratio admodum difficilis, convulsiones accedant, aut ægri floccos carpant, summa morbi lethalitas.

Cura a venæ sectione largiore incipienda, donec pulsus fiat mollior, calorque minuatur. Si venæ sectione facta iterum exorbitet febrilis impetus, denuo sanguis educendus.

Nonnunquam pulsus nec adeo magnus, nec durus deprehenditur, rubor tamen faciei, anhelosior respiratio, vitæ genus prægressum, hæmorrhagiæ suppressæ, &c. suadent vires non deficere, sed corpus ab humoribus obrutum esse, hinc vena tundenda; ut vero Medicus securus sit, pulsui alterius brachii digitus applicandus est, dum e vena ægroti sanguis mittitur. Si pulsus sit parvus, tremulus, intermittens, desistendum;

dum; ſi vero inſurgat, ſanguinis miſſione pergendum, cum hac in acutorum principio neglecta in ſubſequentibus febris ſtadiis nullo modo compenſari poſſit teſtante Huxhamo.

Hæmorrhoidibus tumentibus hirudines applicandæ ſunt.

Si ſaburra in ventriculo hæreat, emetico ejicienda eſt.

In ardentis fervore medicamenta conveniunt, quæ (ratione habita temperamenti, virium, &c.) ſæpius de die alvum movent. (Nro. 2. 5.)

Præterea indicantur, diluentia & ſanguinis phlogiſticam denſitatem ſine augmento velocitatis attenuantia; hinc decoctum hordei, acetoſæ, acetum, ſuccus citri, nitrum, oxymel largiter ingerenda: (Nro. 4. 5. 6. 10.) cum in cadaveribus febre ardente defunctorum ſanguis multus, craſſus & ater in arteriis, pauciſſimus in venis reperiatur.

Pro potu ſint emulſa tenuia cum pauco nitro, limonada, ſerum lactis, lac cbutytatum, acetum aqua dilutum.

Æſtivo

Æstivo tempore succi recentium fructuum horæorum aqua diluti exhiberi possunt. (Nro. 11. 12.) Hi enim grati sunt, sitim, calorem minuunt, saponacea sua vi aquam oleo miscibilem reddunt, & efficiunt, ne subito iterum de corpore diffletur. Nonnulli Medici timent & damnant usum succorum ex fructibus horæis expressorum, sed hi ipsi sine metu eosdem saccharo in formam syrupi redactos præscribunt.

Ubi alvus adstricta, decoctum hordei cum cremore tartari acidum redditum optime pro potu inservit.

Contra immanem capitis dolorem epithemata ex pane secalino cum aceto conducunt. Ubi facies rubet & venæ inflatæ sunt, cum successu hirudines pone aures applicantur.

Ad calorem minuendum, sanguinemque a superioribus derivandum sinapismi (Nro. 13.) plantis pedum apponendi, qui dum sicci, renovandi.

Laudatur in ardentibus, ut crura aquæ tepidæ immergantur, & pedibus cataplasmata emollientia adhibeantur; talis autem

meden-

medendi modus, etiamſi rationi maxime congruus, rariſſime tentatur, & Medicum, qui hujusmodi auxilia præceperat, ſe ludibrio expoſuiſſe intempeſtivo Clar. Wintringham (a) vidiſſe contigit.

Eidem ſcopo inſerviunt clyſmata, quæ ſimul ex inteſtinis feces in loco tam calido facile putreſcentes eluunt, & dum oſcula vaſorum reabſorbentium intrant, ſanguinem diluunt & attenuant, hinc etiamſi alvus libera, ubi magnus admodum calor deprehenditur, quotidie injici poſſunt, niſi vires nimium fractæ ſint.

Amarities oris, nauſea, quæ diluentibus & acidis brevi non corrigitur, vomitorium petit; ſæpiſſime enim in his febribus putridi quidpiam in primis viis hæret. Sic Illuſtr. van Swieten notat, ad finem æſtatis vel in autumno raras eſſe febres inflammatoriam tantum naturam habentes, ſed jam quidquam de bilioſo participantes; hinc vomitorio neglecto deliria, anxietates, convulſiones ſequuntur, licet id, quod

vomitu

(a) Notationes & obſervationes in Rich. Mead. Monita, & Præcepta medica, pag. 31.

vomitu ejicitur, nec mole valde ſpectabile, nec pravis qualitatibus inſigne ſit.

Si deliria ferocia, clyſmata omni trihorio aut quadrihorio injicienda, ſinapiſmi acriores (Nro. 14.) applicandi, abſtinendum a veſicatoriis, inde enim febris major, calorque auctus ſpectatur; eam ob rationem Illuſtr. van Swieten (a) cantharidum uſum minime tutum eſſe dicit; ubi valida febris & calor magnus urget.

Si uſu remediorum antiphlogiſticorum, prægreſſis depletionibus, & evacuationibus debitis febris pergat, vires langueant, cortex peruvianus, maxime ubi manifeſtæ & regulares exacerbationes, in uſum vocandus, qui remiſſionis tempore exhibendus.

Vires corticis præpollentes in febribus continuis æque ac in inrermittentibus profligandis Mortono (b) jam innoteſcebant.

Extracti forma magis arridet; (Nro. 15.) in ſubſtantia datus non raro nauſeam, anxie-

(a) Tom. III. pag. 47.
(b) Opera medica. pag. 55.

anxietatem, ſenſum ponderis in ventriculo, amaritiem oris, majoremque calorem, alvi obſtructionem generat, ubi ab extracto crebriores alvi dejectiones nigricantes, extracto ſimiles cernuntur.

Sydenhamus jam nonnunquam tincturam corticis pulveri præferebat, quia ab hoc conſtrictionem metuebat.

Quandoque a Pharmacopæis addito ſale tartari extractum paratur, ut labori, tempori, & carbonibus parcant, quia citius partes corticis ſolubiles ope ſalis tartari in aqua ſolvuntur, ſed remedium inde naſcitur ad debellandum hunc morbum, ubi tantus motus humorum, & calor, magis noxium. quam proficuum.

Decoctum corticis peruviani (Nro.16.) cum aceto, ſucco citri, ſale polychreſto (niſi diarrhæa adſit) ſyrupo ribium, aut rubi idæi edulcoratum, pulcherrime prodeſt. Cel. Vogel efficacius id vult, ac extractum. Certe obſervata medica nos docent gangrænam proſerpſiſſe cortice peruviano & in extracto & in ſubſtantia propinato, quæ ſiſtebatur decocto ejusdem.

Cum

Cum multi turbidum abhorreant corticis peruviani decoctum, Baumé infusum frigidum oculo gratum paravit. Infudit unciam dimidiam corticis in lagena sedecim aquæ unciis: infusum hoc per aliquot dies reliquit, id sæpius de die agitavit, tandem aquam hoc modo læte rubentem, ac ex fulvo coloratam per chartam emporeticam filtravit, ac ita porrexit, aut etiam pro extracto sicco sensim sine ebullitione evaporavit.

Hæc methodus pro parando extracto, ut Baumé voluit, exiguæ virtutis videtur. Rogavi expertissimum Professorem Jac. de Well, ut periculum faceret. Infudit quantitatem a Baumé determinatam cum eadem præscripta copia aquæ, permisit infusum per 4. dies; aqua erat levissime colorata saporis leviter amaricantis, hac decantata, novam aquam affudit, idque tertia vice repetiit; tandem corticem residuum cum aqua nova decoxit, & obtinuit decoctum turbulentum saporis subadstringentis, simulque amarissimi, cum sapore infusi plane non comparandi.

Præ-

Prætendit Baumé duabus infusionibus omne solubile ex cortice ita extraxisse, ut cortex tali modo extractus, ac dein in recenti aqua decoctus ei parum, aut nihil tribuerit. Clar. Wellius contrarium observavit. Erat enim hujus infusum debile; decoctum vero ita frigide extracti corticis forte, præstans & sapidum valde: apparet itaque, quod aqua frigida infusus cortex nil minus, quam omnibus suis partibus solubilibus spolietur,

Multo efficacior est infusio calida; infudi enim unciam unam corticis peruviani selecti & pulverisati unciis sexdecim, & in loco moderate calido per triginta horas reliqui, decantata infusio bene quidem, sed non profunde colorata erat, attamen corticis sapore & odore optime imprægnata, ut aqua omnem substantiam efficaciorem inde extraxisse videretur, nam restans cortex per duas dein horas in aqua dedoctus, ei vix quidquam præter colorem rubrum tribuit.

Admodum nauseosis extracti, aut decocti loco sal corticis peruviani dictus exhiberi potest, quæ pars magis resinosa est,

primam in ſolutione formans cuticulam, dum leni calore humidum illud evaporatur.

Hinc majori puritate ab extracto differre videtur, & drachma una magis efficax, ac binæ aut tres extracti habentur. Anno 1759. hoc remedio aliis non proficientibus diſcipulum olim meum egregium Noſocomii Pazmaniani Phyſicum Henricum Collin hoc morbo decumbentem ſanavi.

Corticis peruviani doſim determinant vires ægri, magnitudo morbi, conſtitutio epidemica. Uncia ſemis extracti ſufficiebat, ſed & ſæpe ad unciam j. nicthemeri ſpatio aſcendendum erat.

Nec credendum, cum cortex adeo præſtans remedium in hydrope, cachexia, fluore albo, paſſione hyſterica, debilitate ſyſtematis nervoſi ſit, eum ſanguinem denſare; decoctum corticis peruviani ſanguini mixtum eum rubicundiorem & fluidiorem facit teſtante Schwenkio, & multorum cortice utentium ſanguis facile ſecedebat, nec inflammatorius erat.

Quamdiu vero pulſus ſatis durus eſt, etiamſi venæ ſectiones ſint inſtitutæ, primæ

viæ

viæ purgatæ & vires admodum proſtratæ cortex non prodeſt, imo morbum auget.

Tentavi jam anno 1753, antequam corticis uſum in ſimilibus febribus per Clar. Pringle edoctus fuerim, cum remiſſionem regularem viderim, venæ ſectione facta & purgatis primis viis, morbum ſubito cortice jugulare, ſed febres longiores, criſes tardiores, imperfectas, & crebriores recidivas ſecutas dolui.

Supra laudatus Pringle (a) nec effectum ſperat a cortice in gangræna, ubi vaſa nimium plena, & dum ſanguis cruſta inflammatoria tectus eſt.

In ardentibus tamen, in quas intermittentes tranſiere, mox ab initio remiſſionis tempore cortex, aliis antiphlogiſticis junctus, ſummo cum effectu præſcribitur.

Communiter in hiſce febribus delirium maniodes junctum eſt, nonnunquam tamen aſaphodes notatur, pulſus tunc eſt debilis, celer, inæqualis, adſunt ſubſultus tendinum, tremores, oculi caliginoſi, con-

(a) Obſervations on the Diſeaſes of the Army. pag. 343.

vulſiones. In hoc peſſimo ſtatu moſchum (Nro. 17.) omni trihorio, aut quadrihorio (continuato ſimul corticis & diluentium uſu, niſi ægri bibere recuſent) ſummo cum effectu exhibui, ſequebatur ut plurimum ſudor moſchum redolens, levans.

In hyſtericis & hypochondriacis, qui mochi odorem non ferunt, levis camphoræ doſis: infuſum ſerpentariæ, (Nro. 18. 19.) aut ſpiritus cornu cervi cum eſſentia caſtorei (Nro. 20.) ſubſtitui poteſt.

Contra vigilias erectus corporis ſitus, regimen frigidius, alvus liberior, & linteum aceto & aqua roſarum madidum capiti impoſitum temporibus admotum pulchrum effectum facit.

Abſtinendum ab opio, quod nunnulli ſuadent, ut impetus naturæ ferocior inde compeſcatur. Vigiliæ enim perſeverantes crebrius leve inflammationis initium in encephalo notant, quod per opium facile augetur, cum ab eodem ſumpto humores magis ad caput ferantur. Opii actio ſimilis eſt ac vini, quod certe nemo in arte peritus commendabit, ubi inflammationis metus, & nemo eodem ferociorem naturæ

im-

petum compeſcet. In febre ardente ab opii parciſſima doſi exhibita perturbationes capitis ac leve delirium vidit Fridericus Hoffmannus. Clar. Pringle docet opiata manifeſte nocere, ſi vigiliæ a febre pendeant. Teſtatur quoquo Clar. Gorter, quod motus acceleratus in febribus ardentibus non ſolum non compeſcatur opio, ſed temulentia & furor inducatur.

Criſis eſt varia per hæmorrhagiam narium, alvum, ſudorem, parotides & quandoque hæmorrhoides.

Nunquam benigna reſolutione morbus hic ſolvitur; cum parvi tantum morbi ſolvantur, magni vero judicentur.

Hæmorrhagia narium magnum nomen inter criticas evacuationes meretur in febre ardente. Præcedunt ſigna in capite de febre continua ſimplici dicta, oportet autem ut copioſus ſanguis per nares effluat.

Si ſanguis ſit craſſus & ater, guttatim erumpens, vas aqua calida repletum naribus ſupponendum, ut per vaporem hunc vaſis laxatis cruori effluendo copia fiat.

Si nimia ſit hæmorrhagia, quod ex ingentis ſanguinis profluentis copia, pallo-

re, venis confidentibus, pulſu vacillante & debili noſcitur, acetum aqua mixtum naribus externe applicatum conducit.

Hæmorrhagiam narium nimis profuſam & die critico advenientem jam damnavit Hippocrates, hinc ſi tam valida ſit, ut periculum in mora adeſſe videretur exhauſto fere jam corpore, nunquam fefellit Illuſtr. van Swieten vitrioli albi meraciſſima ſolutio, (Nro. 21.) ſi nempe turunda hac madida naribus immitteretur, curando, ut quam profundiſſime ingrediatur nares. Hoc fit, ſi calamus linteo carpto obvolvatur ſolutione vitrioli imbuto, dein immittatur hac lege, ut primo perpendiculariter intrudatur ad pollicis dimidii plus minusve longitudinem, ac ſi quis per narium foramina verſus fauces protrudere vellet, dein elevetur prudenter calamus relicto linteo carpto. Niſi tali cum cautela hoc fiat, raro ad locum affectum vitrioli ſolutio pervenit. Relinquitur autem hæc turunda ibi, donec poſt unum, alterumve diem ſponte elabatur.

Parotides, vel & tumores glandularum inguinalium in hoc morbo apparent, quibus cataplaſmata applicanda ſuadentur; ſed empla-

emplaſtra gummoſa. ut diachylum cum gummatibus, de galbano crocatum diſpenſator. Viennenſ. his præferuntur; cum refrigeratis cataplasmatibus parotides facile repelli poſſint. Statim ac pus formatum judicatur, aperiendæ ſunt, fruſtra exſpectatur fluctuatio puris, ac tumoris mollities, cum pus adeo tenax, ut tumores integre maturi ſatis duri ſint. Si abſceſſus diutius clauſi relinquantur, in vehementi hoc morbo pus ſubito acre fit, ſanguinem intrat, & nonnunquam periculum præſentaneum, dum ad partes nobiliores fertur, nonnunquam febrim lentam creat.

Abſceſſu aperto, ſi pus album non fœtidum, ſpecillum non tingens conſpiciatur, ſi febris minuatur, bonum, ſi vero ſanioſum prodeat cum fractis admodum viribus, pulſu inæquali, intermittente, peſſimum.

Ubi parotides ſubito diſparent ſine ſubſequente alia evacuatione, malum; ſed & parotides ſuppurantes non certam ſalutem notant; Hippocrates jam binos ægros notat, qui ſuppuratis licet parotidibus, perierunt. Ballonius recte monet, parotides perniciosas eſſe, quoties febris ceſſa-

tionem non adferunt. Imo fere ſemper lethales ſunt, niſi paullatim tumor corripiat, neque coma aut ſpirandi difficultas invadat.

Sputa craſſa, mobilia lubrica teſtante Illuſtr. van Swieten cum reliquis evacuationibus in ardente quidem concurrunt, raro tamen vel nunquam judicium his ſolis abſolvitur.

Si tuſſis ægros corripit, præter nominata ſuperius remedia, pro ratione ſymptomatum & virium vitæ ſimul dari poteſt decoctum althææ cum oxymelle; (Nro. 22.) ſi ſputa craſſa ſint, & tenacia, unc. j. oxymell. ſcillæ, aut altera addenda.

Ubi vero ſtertor accedit, ſputa non prodeunt, ita ut metus ſuffocationis ſit, kermes minerale propinandum, quod ad granum omni bihorio aut trihorio dandum. (Nro. 23.) A levi hac doſi vix vomitus, aut diarrhœa orietur. Si vero excitentur, duo grana maſſæ pillularum de ſtyrace aut cynogloſſi tali pulveri jungenda, donec vomitus aut diarrhœa minuantur, dein iterum kermes minerale ſolum exhibendum. Non multum ab opio metuendum eſt, in illo enim ſtatu, ubi ſputa & tenacia & craſſa apparent, febris admodum mitigata eſt, nec amplius ferocior ille naturæ impetus ſpectatur.

Urina cum ſedimento lateritio potius pro criſis nuncio, quam critica evacuatione habenda; quo enim ſediminis citior & diuturnior depoſitio, eo perfectior criſis.

Notat Boerhaavius, quod febris ardens critice cum rigore ſolvatur, ſed bene monet Illuſtr. van Swieten, quod quamvis criticus talis rigor ſolutam & mobilem jam morbi materiem denotet, in febre ardente, tamen hæc raro vel nunquam tales habeat dotes, ut ſanis aſſimilata humoribus cum illis fluere poſſit per vaſa absque ulla notabili functionum perturbatione, adeoque critica evacuatio fere ſemper talem rigorem ſequi ſolet: itaque febris ardens ſolvitur quidem cum rigore, raro tamen vel nunquam hoc ſolo ſanatur.

Cavendum, ubi ſimilis rigor ſequitur a calefacientibus, hic enim potiſſimum, ut monui, evacuationis futuræ nuncius eſt, cum materiem peccantem mobiliorem ſignificet, inde attritus minor & minutus caloris ſenſus naſcitur. Poſt ſimilem criticum rigorem reſtituto libero humorum motu per vaſa, brevi ſequitur æquabilis per univerſum corpus calor, hinc facile diſtin-

guitur a peſſimo rigore, quem extremorum frigus excipit, dum immeabilis redditus ſanguis ad extrema usque corporis propelli nequit. Hinc Hippocrates docuit, quod ſi rigor incidat fractis jam viribus, omnino funeſtus ſit & ægri moriantur.

Si diarrhœa cum levamine fiat, critica eſt & ſibi relinguenda; ſi vero vires debilitentur, facies collabatur, pulſus inæqualis, aut admodum debilis reddatur, cohibenda eſt, a nitro, ſalibus, melle abſtinendum; extracti corticis peruviani loco ſubſtantia ejus danda, cum ab extracto, ut ſuperius monui, potiſſimum alvus crebrior ſequatur, mixtura ex bolo armena & gummi arabico (Nro. 24.) omni bihorio aut trihorio ad unc. j. exhibenda ſimul tamen pro diverſitate ſuperius notatorum ſymptomatum decoctum corticis peruviani, camphora, &c. propinanda. Veſicantia ſuris applicata levamen ferunt.

Laudatur contra nimiam diarrhœam radix ſalep, (Nro. 25.) ſed tute huic ſubſtitui poteſt læte in Auſtria creſcens orchis morio Linnæi, cujus radix in aqua una alterave ebullitione decocta, ab exteriore

cortice

cortice mundata, filo ſuſpenſa & in aëre exſiccata, dura, ac ſemipellucida inſtar gummi tragacanthi evadens, in aqua dein tota ſolubilis, eamque glutinoſam reddens. (Nro. 26. 27.)

Prodeſt & in vehementiore diarrhœa infuſum ex floribus rhœados & ſambuci paratum; oportet, ut flores ſambuci ſicci ſumantur, cum recentes teſtante Vogel alvum moveant.

Nonnunquam in febre ardente pulſu forti & duro in mollem & parvum mutato diarrhœa debilitans fractis jam admodum viribus accedit & a quolibet potu aſſumpto augetur, tunc ad adſtringentia confugiendum, & drachma ſemis aut ſcrupuli duo ſucci inſpiſſati catechu, aut pulveris corticis ſimarubæ mixturæ cum cortice addenda, cum hæc diarrhœa minus ab acrimonia, quam a relaxatione dependeat, quæ facile oritur per potum perpetuo aſſumptum, per tot clyſmata injecta, per ipſum majorem affluxum humorum jam in principio morbi a materia acri in primis viis hærente & inteſtina irritante generatum.

Urgente admodum neceſſitate opium per vices exhibendum.

℞. Opii pur. gr. jß.
Sacchar. albi drach. ij.
Aq. fl. rhæad. unc. iß.
M.

Sumat omni bihorio cochlear, donec alvi fluxus minuatur, cavendum enim eſt, ne ſubito ſiſtatur.

Si poſt medicamenta adſtringentia aut paregorica diarrhœa ſuppreſſa anxietas, reſpiratio difficilis oriatur, abdomen infletur, enema emolliens (Nro. 28.) ex decocto althææ, aut lacte injiciendum, extractum corticis peruviani propinandum, donec alvus imminutis iterum ſymptomatibus ſecedat, alias enim gangræna ſubito & morbo & vitæ finem imponit.

Ad curam plurimum facit moderatus aëris calor, hinc ut ægri non plus juſto incaleſcant, oportet, ut potius ſupra culcitram, quam lectum plumis refertum decumbant.

Celſus jam monuit, quod febre ardente laborans amplo conclavi tenendus ſit, quo purum & multum aërem trahere poſſit, & Galenus docuit, quod in morbis, ubi nimius calor, cavendum, ne a turba ingredientium hominum domus caleſiat.

Hinc æſtate, ubi calidus & ſiccus aër, non ſolum portæ & feneſtræ aperiendæ, ita tamen, ut tranſitus aëris per has oppoſitas ad lectum ægri impediatur, ſed & aqua frigida cum ſale ammoniaco, nitro in pavimentum & ad parietes reſpergi poteſt, ſic gratum & tutum refrigerium conciliatur. Rami florentis ſambuci aut fraxini, ſalicis, betulæ, populi, roſarum, oxyacanthæ, viburni aquæ immerſi eandem abſorbent & exſpirant, aëremque ſicciorem corrigunt.

Eodem ſcopo inſerviunt lintea ſalis ammoniaci aut nitri muria madida in cubilibus ſuſpenſa.

Malus Viennæ mos eſt, omni anni tempore & in omni fere morbo juſcula tepida, aut infuſa theata affatim exhibere, inde enim & æſtuante per febrim ardentem ægro calor magis augetur, & decumbentes non refocillantur, ſed ſudoribus diffluunt, hinc præponenda frigidiuſcula, acidula. Cavendum a gelido potu, licet enim gelidam quandoque profuiſſe in febribus noſcamus, minime tamen optime monente Illuſtr. van Swieten ex rarioribus illis caſibus concludi poteſt, illum ſemper febrici-

tanti-

tantibus exhibendum esse, non magis, quam si haleces salitos, lardum & similia quis commendare vellet in victu febricitantium, quia quandoque his assumptis febres curatæ fuerunt, dum summo appetitu hæc desiderarent ægri & invitis etiam Medicis assumerent. Optime dicit Cleghorn (a), vituperandos esse eos Medicos, qui frigidum potum ægrotis negant, dum eum appetunt, damnandos vero esse eos, qui, ut Itali, & Siculi Medici potum glacialem conceduut, nisi eo jam sani assueti sint ægri.

Pro pauperibus est serum lactis ebutyratum omni pinguedine butyracea orbum, acidulum. Si tamen nimia diarrhœa inde oriatur, quod sæpius vidi, abstinendum.

Non raro post febres ardentes, maxime ubi sputa copiosa apparebant, corpus exhauritur & respiratio ad motum difficilior cum sputis purulentis notatur; equitatio, aura ruralis, decoctum ex cortice peruviano & lichene Islandico (Nro. 29.) interposito lactis usu cum moderato corporis exercitio pulchre prosunt.

Post

(a) Observations on the diseases in Minorca. pag. 190.

Poſt febres continuas ægri ſudoribus quandoque diffluunt, efficax admodum eſt ſalviæ (Nro. 30.) infuſum aquoſum, aut vinoſum; ſi inde, ut quandoque notavi, calor major, aut ſitis oriatur, cortex peruvianus, aut decoctum corticis peruviani cum ſpiritu vitrioli & guttis quibusdam liquoris anodini mineralis utiliter propinabitur.

Surditas poſt febres ardentes remanens aut ſponte cedit, aut emplaſtro ex galbano cum camphora nuchæ impoſito tollitur.

Malo conſilio reconvaleſcentibus ex ardentibus & reliquis febribus continuis purgans exhibetur, ſi de nullo ſymptomate conquerantur.



CAPUT

CAPUT IV.

DE

FEBRE PUTRIDA.

Febrim putridam nonnunquam per aliquot dies præcedit languor, ſomnus inquietus, appetitus proſtratus, dolor capitis, lumborum, ſpiritus fœtens, urina peſſime olens, ſequitur febris, quæ remittit, iterum exacerbatur ſine typo, pulſus ab initio celer, parvus, mutatur dein in fortiorem & ſi inflammatorii quidquam junctum eſt, in duriorem, lingua eſt alba, anima fœtens, os amarum, crebrius nauſea, vomendi conatus, aut ipſe vomitus ægros vexat. Urina eſt pauca, cutis interdum ſicca, alvus conſtipata, quandoque crebriores dejectiones, ſudor copioſus, ſed ſine levamine notantur.

Naſcitur febris putrida ab abuſu carnium, piſcium, maxime non recentium, contagio, conſtitutione epidemica, inundatio-

dationibus, aquisque effusis putrescentibus, retento perspirabili; hoc enim putrescentis indolis est & ad intestina plerumque refluens; quare pluviosa & tepida tempestate febris putrida frequentius occurrit, licet frigida quandoque hyeme grassetur.

A solo victu malo putrida epidemia pessima oriri potest; dum in obsidione Bredana fame pressi incolæ impuro victu uterentur, sævissima pestis grassabatur, interim regius exercitus, qui hanc urbem obsidebat, omnibus ad vitam necessariis instructus a dira hac lue immunis erat. Et observatis constat, quod tempore belli in legionibus, ubi milites accuratius nutriebantur & purius servabantur, multo rariores febres putridæ occurrerent.

Putridissimæ febris quoque causa est atmosphæra stagnans frequentia hominum polluta, quæ mox valde rancet; hinc in carceribus & nosocomiis, ubi plurimi homines congesti sunt, aër longiore mora pestiferus fieri potest; sic in penultimo bello, dum turba militum noviter lectorum cubiculis arctioribus includebatur pessima febris putrida plurimos e medio tollens oriebatur.

Quandoque putridæ præcaventur, ſi caſtra ſæpius mutari poſſint, ſi magni ignes in iis accendantur, ſi tentoria ſuccenſi ſulphuris fumo crebrius purgentur. Bonum quoque foret acetum aqua dilutum præcipue æſtuante Sirio militibus præbere; ſi vero aceti copia non ſit, aqua, cui quidquam ſpiritus vitrioli inſtillatur, conducit.

Diverſæ indolis febres putridæ occurrunt; nonnunquam putrido inflammatorii quidquam junctum eſt, quod ex pulſu duriore, facie magis rubra & venis plus inflatis noſcitur, ſanguineis, laute paſtis, bibulis non raro id accidit, vel ubi in initio morbi ventriculum & vires languentes per vinum aut aromatica erigere ſtudent ægri.

Non raro putrida materia ſolummodo in primis viis hæret, maxime in principio morbi, aut ubi hic a nimia repletione ventriculi per carnes vel piſces ſemiputridos ortum duxit; his pulſus non admodum debilis, vires non adeo fractæ, color faciei minus luridus, os vero amarum, oppreſſio ad ſcrobiculum cordis, ructus fœtentes ſunt.

Sed

Sed & hærente adhuc fomite in primis viis putridum jam in maſſam ſanguinis duci poteſt, tunc pulſus celer, inæqualis, debilis, cum oppreſſione ad ſcrobiculum cordis, ſudor & urina fœtidior deprehenduntur.

Putrida ex contagio, conſtitutione epidemica, uſu aquarum putreſcentium non raro primo ſanguinem afficit, dein putridum exinde ſecernitur, & ad primas vias fertur. Sic Hoffmannus monet, quod febres ipſæ bilem generent.

Noſcitur hic morbus ex cauſis nunc dictis prægreſſis; pulſus in initio debilis & celer eſt, vires plurimum proſtratæ, ſudor copioſus, alvus crebra, ſeroſa, morbum non levans, petechiæ brevi erumpunt ſine levamine, lingua plumbei coloris, facies lurida, deliria, tremores ſubito ſe jungunt, oculi ſunt turbidi, & licet ægri non appetant, nauſea tamen & vomendi conatus minores obſervantur, ac ubi ſordes in ventriculo collectæ hærent.

Quandoque morbo putrido jam adulto ſtatus inflammatorius accedit, maxime ubi primæ viæ initio morbi evacuatæ non

fuerunt; hinc bilis putrida febre acrior reddita partes erodit & inflammat.

In hoc ſtatu pulſus celer, parvus, ſubdurus tangitur, ac ſi tenue filum ferreum per arteriam ductum eſſet; lingua eſt ſumme arida, genæ rubent, deliria, meteoriſmus, ſingultus & convulſiones accedunt, ægri aut potum reſpuunt, aut ab eodem anguntur; non raro medicamenta & potulenta vomitu rejiciunt, ut plurimum diarrhœa ichoroſa ægros e medio tollit.

Prognoſis in febre putrida eſt varia; quandoque, ubi fomes mali in primis viis hæret, emetico dato cito terminatur morbus; ſic Tiſſot (a) dicit: Emeſis febrim ſæpe omnino jugulat.

Nonnunquam per ſex ſeptimanas durat morbus, maxime, ſi ab initio primæ viæ non ſatis purgatæ fuerunt.

Tranſeunt hæ febres in intermittentes, obſtructiones viſcerum & icterum; ſæpe in ipſis febribus bilioſis ægri, ut in ictero flaveſcunt, quod nec bonum nec malum ſignum. Pringle cadaver aperuit ſimilis defun-

(a) Pag. 16. de febre bilioſa.

functi, & nihil calculosi, nihil obstructi in cystide, aut ductibus biliosis invenit.

Post evacuationes primarum viarum morbus per aliquot dies in eodem statu manet; si hypochondria mollia, æqualia, non dolentia, decubitus sanorum similis, respiratio facilis, mens conscia, pulsus æqualis, salus sperari potest: si pulsus in celerem, parvum, inæqualem mutetur, abdomen infletur, deliria, subsultus tendinum, convulsiones, singultus (qui tamen nimiæ ingurgitationi quandoque originem debet) accedant, si ægri floccos carpant, excrementa inscie deponant, si pustulæ purpureæ vel lividæ corpus deturpent, hypochondria tensa & inflata sint, æger fere moritur.

Status inflammatorius principio febris putridæ junctus, quem vita lauta prægressa, pulsus plenior & durior notat, venæ sectionem postulat, minori tamen quantitate sanguis detrahendus, ac in febre ardente.

In putrida sine statu inflammatorio venæ sectio non convenit, imo ab hac morbus aut lethalis evadit, aut in longum pro-

trahitur & languor diuturnus, cachexia, &c. ſequuntur. Vidi peſſimo conſilio inſtitutas venæ ſectiones ob calorem externum & acerbum capitis dolorem in putrida decumbentibus, quorum pulſus parvus & debilis, lingua ſpurca erat; hæc enim mala monente jam Hollerio purgantibus ſunt tollenda. Per magna certe circumſpectione opus eſt notante Huxham & Pringle, ne in dignoſcendis phlebotomiæ indicantibus decipiamur, cum orgaſmus putridi & diſſoluti ſanguinis aliquando plethoram & inflammatoriam diatheſim ſimulentur, ut exercitatiores etiam viri ſubinde fallantur.

Indicationes in febribus putridis ſunt, materiam peccantem corrigere & evacuare. Ubi fomes morbi in primis viis latet, mixtura ex ſalibus mediis cum ſucco citri danda, (Nro. 5.) quia materies hæc ſæpe inſtar glutinis ſpiſſa eſt, ita ut ſubito ejici non poſſit.

Illuſtr. van Swieten notat poſt fervidiſſimam æſtatem febres bilioſas epidemicas cum moleſta nauſea & vomitu fuiſſe, in quibus ſtatim vomitorium propinatum non levabat, ubi autem per unum alterum-

ve

ve diem diluentia & ſolventia data fuerant, ſponte ſæpe vomitu excutiebatur corrupta bilis inſtar glutinis fere ſpiſſa, vel leni vomitorio ſecunda vice exhibito facile expellebatur.

Die una aut altera adhibitis fruſtra diluentibus & ſolventibus, vel ubi ingens nauſea, aut vomitus ſpontanei, ſubito Ipecacuanha cum tartaro emetico propinanda.

Sola Ipecacuanha minus ſatisfacit, tum quia, ut jam in capite de febribus continuis monui, glutinoſum bilioſo junctum ejicere non valet, tum quia alvum adſtrictam potiſſimum relinquit, quæ tamen in hoc morbo perpetuo aperta ſervanda.

Nonnunquam neceſſitas urget, repetendi vomitorium, maxime ubi digeſtiva exhibita non fuerunt. Impoſſibile fere eſt, diluentibus ſolis & acidis putridam hanc materiam corrigere.

Vidi ægros febre putrida decumbentes immaniter ſitiiſſe, potum tamen reſpuiſſe omnem, quia & a gratiſſimis acidiuſculis nauſea augebatur. Metus quoque eſt, ne ſordes putridæ, dum inteſtina tranſeunt, per vaſa bibula abſorbeantur, in maſſam

humorum ferantur, & eam malignitate ſua imbuant, hinc Illuſtr. van Swieten docet, quod in continuis autumnalibus poſt fervidiſſimas æſtates ab accenſa bile natis in initio purgans, aut emeticum conveniat, quia alias hæc materia mora & calore ipſo acrior reddita dein vomitum, vel putridiſſimam diarrhœam cauſat, funeſtam ſæpe, dum morbi progreſſu fractis viribus validas tales evacuationes ægri ferre nequeunt; addit, quod a vomitorio illico magnum percipiant levamen, febris dein placide pergat, & ſine moleſtis ſymptomatibus curſum ſuum abſolvat.

Tota difficultas in eo conſiſtit, ut bene diſtinguatur, an cauſa inflammatoria adſit, nec ne; pulſus durities, dolor acutus in regione ventriculi ad aſſumpta quælibet auctus, tempus anni, vita prægreſſa, & conſtitutio epidemica lucem dant.

Monet optime Cl. Unzer (a) inflammationem ventriculi rariorem eſſe, ac creditur, & dolorem ad ſcrobiculum cordis, an-

(a) Der Arzt, eine mediciniſche Wochenſchrift. Fünfter Band. S. 621.

anxietates, &c. ſubito evaneſcere poſt vomitorium.

Cavendum, ne Medici a tuſſi ſtomachali in hoc morbo frequentius occurrente terrefacti, vomitorium negligant, timentes inflammationem in pectore hærere.

Noſcitur hæc tuſſis ex ore amaro, anxietate ad præcordia, nauſea, lingua ſpurca, vita prægreſſa, conſtitutione epidemica; abeſt magna durities pulſus, nec inſpirando dolorem in pectore animadvertunt ægri; verum oppreſſionem in regione ventriculi & irritationem in eodem loco, quam tuſſis ſequitur, ſentiunt.

Mire certe corpus noſtrum a bile circa præcordia hærente turbari poteſt; Galenus jam notavit convulſiones inde naſci ſubito ceſſantes bile per vomitum ejecta; refert ſæpius laudatus Illuſtr. van Swieten ſe ab optimo Boërhaavio edoctum fuiſſe, frequentem ſatis delirii in febribus cauſam eſſe ſordes circa præcordia collectas, invenit id veriſſimum, dum unico vomitorio dato excuſſa hac ſaburra plures illico reſipuerunt.

Per vomitum præterea concutiuntur viſcera abdominalia; hinc materies impacta ſolvitur, evacuationibus apta redditur, & obſtructiones febribus autumnalibus communes impediuntur.

Ex dictis patebit, peſſime errare illos Medicos, qui febrem putridam ſolis diluentibus & acidis debellare ſtudent, ſaburra in primis viis hærente.

In gravibus putridis obſervante Zimmermanno (a) evacuatio nunquam ſoli naturæ eſt relinquenda & longe melius evacuat ars, quam natura.

Purgantia antiphlogiſtica non ejusdem ſunt efficaciæ ac vomitorium; Imo notante Thom. Glaſſ, (b) vitanda eſt alvi purgatio, ubi os amarum, inferiora algida, aliave accidentia humores corruptos in ventriculum concurrentes oſtendunt; nam ſurſum per os his proximus exitus eſt. Sic Tiſſotus obſervavit unicam emeſim ſæpiſſime præſtitiſſe, quod non attigerant repetitæ alvi dejectiones.

Si

(a) Von der Ruhr unter dem Volke. S. 26.
(b) Commentarii duodecim de Febribus, Pag. 79.

Si autem vomitorium ob rationes in capite de Synocho non putrida adductas exhibere non liceat, purgantia antiphlogiſtica locum habent, ut tamarindi, cremor tartari, ſal mirabile Glauberi, &c.

Neque timendum eſt in putridis alvo liquidiore in principio ſtipatis purgantia per epicraſim exhibere; ſi enim ſolis diluentibus morbus impugnetur, brevi alvi excretiones minuuntur, abdomen increſcit, deliria & cetera peſſima mala ſuccedunt.

Diarrhœa larga, excrementa omnino aquoſa in principio putridarum infauſti ſunt ominis, notant enim humorum colliquationem, hinc mox ad largam acidorum mineralium doſim & viribus admodum fractis, ad corticem peruvianum recurrendum eſt.

Nonnulli Medici finita operatione emetici paregoricum exhibent ad tumultus inde natos compeſcendos; ſed nocet opium, ubi natura evacuatione eget, in hac febre etiam poſt vomitum alvus liberior requiritur, tum ut putridum in inteſtinis jam forſan hærens evacuetur, tum ut materies impacta per actionem emetici mota, ſoluta & ad inteſtina lata eliminetur.

Opio

Opio ſumpto febris augetur, ſudor excitatur nocivus in initio morbi, corpus ad putredinem magis diſponitur; ab opio enim aſſumpto mortui citiſſime putreſcebant.

Neque paregorica in decurſu morbi ad quietem ægris conciliandam conveniunt, damnavit eorum uſum in febre biliosa Pringle. Tralles (a) in peſſimæ indolis epidemia ſimili febri putridæ epidemicæ noſtras terras anno 1772 debellanti, quæ poſt pluvias diuturnas, fluviorum & piſcinarum exundationes, aëremque inde ſqualidis effluviis inquinatum, annonæque caritatem oriebatur, & in illa, quam e caſtris & præliis reduces milites attulerant, omnia remedia opium habentia reliquit & vinum aqua dilutum cum ſpiritu vitrioli, infuſum rutæ & decoctum corticis peruviani feliciſſime exhibuit.

Purgatis primis viis medicamenta diluentia, putredini reſiſtentia, alvum apertam ſervantia largiter exhibenda, hinc mixtura (Nro. 5.) omni bihorio aut trihorio propinanda.

Si

(a) Tom. II. pag. 183.

Si vero per crebriores dejectiones, vires magis magisque prosternerentur, pulsus debilior fieret, a salibus abstinendum, alvum enim ita moderari oportet, ut ex altera parte virium ruina, ex altera maligni humoris intra corpus retentio impediatur.

Multi Medici in initio omnium febrium acutarum mixturam sic dictam Hoffmannianam præscribunt; sumunt communiter aquæ uncias IV. vel V., aceti destillati unc. semis, lapidum cancrorum drach. j. vel drachmam unam semis, syrupi unc. semis. Portio hæc aceti non sufficit ad saturandam, sive solvendam totam lapidis cancrorum quantitatem, ut inde fiat sal medius terreus; solvet ergo acetum inde partem reliquo intacto manente; hinc mixtura est ex lapidibus cancrorum partim aceto saturatis, partim crudis minime in hoc morbo conveniens; portio lapidum cancrorum aceto non saturata putredinem magis promoveret, ut Pringliana observata docent, parte lapidum cancrorum, quæ aceto saturatur, diaphoresin & diuresin excitare credunt. Verum Galenus jam monuit, in principio morbi crisim non fieri. Forte

adeo

adeo frequenter hæc mixtura præſcribitur, quod Medici aliquid agere velint, ne videantur nihil egiſſe, interim maximo cum ægrorum detrimento id fit, dum eo tempore, quo hoc remedium propinatur, remedia efficacia negliguntur.

Ubi alvus adſtricta, tenſio abdominis, &c. præter mixturam ſalinam, vel decoctum tamarindorum clyſmata (Nro. 31.) injicienda.

Si ſtatus inflammatorius febri putridæ jungatur, indoles morbi teſtante Clar. Schrœder (a) eſt periculoſiſſima, cum inflammatio remedia ſæpius poſtulet a putredine contra indicata, ut venæ ſectionem, temperantia, &c. & putredo medicamenta requirat, quæ inflammatio non admittit, ut corticem peruvianum, cardiaca. Similibus pro potu limonada, acetum aqua dilutum, lac ebutyratum ab omni pinguedine orbatum convenit.

Serum lactis in febre putrida graviore non ſat efficax videtur, notavit Tiſſot, quod eo aſſumpto ægris poſt aliquot horas ructus

(a) Opuſcul. medic. Tom. II. pag. 180.

ructus nidorosi moti fuerint. Hinc ubi magna dispositio ad putredinem, acida mineralia, aqua ad gratam aciditatem diluta, largissima copia exhibenda sunt, hæc enim putredini potenter resistunt & atoniam, perpetuam fere putredinis comitem, semper noxiam corrigunt.

Dum icterus febri putridæ accedebat, serum lactis cum spiritu vitrioli ad fortiorem aciditatem paratum egregie profuit.

Si debitis evacuationibus prægressis, diluentibus, acidis exhibitis, febris pergat, vires minuantur, ad corticem peruvianum confugiendum, cum putredini adeo adversetur. Pringle fœtorem in carne jam putrida abegit & ei iterum firmitatem cortice conciliavit.

Neque exspectandum est, donec æger per aliquot horas sine notabili febre sit, calor enim in putrida non ex attritu, ut in febribus inflammatoriis & intermittentibus, quod pulsus monstrat, sed potius a dispositione in putredinem pendere videtur. Observata certe nos docent, thermometrum in cadavere febre putrida ante me-

diam

diam horam defuncti 96 gradus caloris adhuc notasse.

Nonnunquam constitutio epidemica putridarum, ut anno 1772 observatur, in quibus evacuato fomite ex primis viis, subito cortex peruvianus pluribus ægris exhibendus erat, licet lingua adhuc spurca & urina admodum colorata notaretur; cortice enim tardius exhibito morbus remedia omnia eludens ægros e medio tulit; necessitatem corticis docuit pulsus parvus & celer, vires maxime prostratæ, remissiones aut nullæ aut brevissimæ.

Addidi in simili casu salia media cortici peruviano, ut alvum quotidie aliquoties exonerarent ægri. Cortice vires erigebantur, febris minuebatur, putredo corrigebatur, salibus putridum, in ventriculo & intestinis jam hærens, evacuabatur.

Variat corticis peruviani dosis ratione vehementiæ morbi, virium, constitutionis epidemicæ, &c.

Nonnunquam unc. semis nicthemeri spatio sufficit, nonnunquam ad unciam ascendendum est, sæpe unciæ duæ aut tres ad morbum integre debellandum efficaces no-

notantur, quandoque vj. xij. unciæ necessariæ erant ad ægros a febre integre liberandos.

Si inter corticis usum ægri angantur, febris augeatur, respiratio difficilior fiat, signum est, putridum adhuc in primis viis hærere, hinc hæ prius purgandæ & a cortice tamdiu abstinendum est.

Cavendum a cortice nimis mature exhibito; sic Illustr. van Swieten meminit febris continuæ remittentis autumnalis epidemicæ, cum anxietate, colore icteritio, flavedine in adnata tunica oculorum; si in hac, antequam obstaculum illud in hepate solutum fuisset, cortex propinabatur, post diuturnos languores putridissima dissenteria oborta e medio tulit plurimos.

Nisi alvus admodum libera dr. j. salis polychresti aut altera mixturæ cum cortice addenda, neque metuendum, corticis vim inde frangi, ut in intermittentibus notatur, dum ægris copiosior est alvus; magis enim in febre putrida cortex ut putredinem arcens, atoniam corrigens, quam ut febrim fugans remedium agit; salium similium cum cortice connubium (nisi alvus jam admodum

libera) ſumme neceſſarium eſt, licet enim & initio morbi per remedia evacuantia & diluentia materies putris ex primis viis eliminata fuerit, poteſt tamen in ipſo decurſu morbi putridum ex humoribus ſecerni & ad inteſtina ferri.

Inter corticis uſum largiter acida mineralia continuanda. Habui nonnullos, qui nicthemeri ſpatio unc. ſemis, drach. vj., imo unciam aqua dilutam hauriebant.

Ridendi Medici, qui decem, quindecim guttas ſpiritus vitrioli libræ uni aut alteri aquæ admiſcent, non memores moniti Celebérr. Hoffmanni, quod proportio eſſe debeat inter cauſæ morbificæ magnitudinem & inter virium medicatarum efficaciam.

Optime acida mineralia, ob diverſam in diverſis pharmacopæis aciditatem, vel ad gratiam, vel fortiorem acorem præſcribuntur, (Nro. 32. 33.)

Ut ægri majorem doſim acidorum mineralium ſumere valeant, nonnulli Medici magnam quantitatem ſpiritus vitrioli cum gummi tragacanthi præſcribunt. Sed an ſana ſuadet ratio, ideo infringere, aut obtundere vires alicujus medicamenti, ut id

dein

dein in majori quantitate propinari valeat? venena demulcentibus involuta vim deleteriam perdunt, hinc & acida inviſcantibus obruta vim ſalutiferam amittere videntur.

Major itaque effectus a minori portione ſpiritus vitrioli aqua diluti ſaccharo vel ſyrupo edulcorati ſperandus erit, quam a majori ejus doſi mucilagine gummi traga canthi involuti.

Ab acidis mineralibus in principio morbi exhibitis ſæpe anxietates & nauſea augentur, niſi vomitorio antea ſordes e ventriculo eliminentur.

Si vires admodum collabantur, pulſus debilis & mollis fiat, vinum rhenanum aut auſtriacum ad uncias duas, tres mixturæ cum cortice addendum.

Ægris, qui ſudoribus diffluunt, & quorum pulſus mollis & debilis eſt, profuit, ſi duæ parres olei vitrioli & una pars ſpiritus vini multa aqua diluta propinentur.

Deliria accedentia, facies rubra, oculi feroces, ſinapiſmos plantis pedum applicandos, veſicatoriis longe anteponendos poſtulant.

Valcarenghi notat, quod a cantharidibus putredo augeatur, & Illuſtr. van Swieten docet, veſicantia non adeo tute adhiberi poſſe, ubi humores diſſoluti, acres, in putredinem vergentes & magnus humorum motus adeſt.

In ægris ſoporoſis cum pulſu debili, parvo, intermittente, inæquali, tremoribus, oculis caliginoſis, deliriis obſcuris, veſicantia felicius in uſum vocantur; cum tunc malum magis in nervis & liquido nerveo, quam in maſſa ſanguinis hærere videatur.

Dum veſicantia indicantur convenit plura & repetitis vicibus apponere, quam ea aut nimis diu relinquere, aut majori cantharidum copia nimis acria reddere, ſic dolores, ſtranguriæ & peſſimæ exulcerationes evitantur.

In ſtranguria poſt veſicantia appoſita emulſa largiter haurienda.

Peſſimum ſignum eſt, dum humor e veſicatorio eductus, fœtet. Anno 1758. in conſtitutione epidemica plurima loca, quibus veſicatoria applicabantur, gangræna afficiebantur, larga tunc corticis peruviani

in

in ſubſtantia quantitas neceſſaria erat, externe fomenta ex antiſepticis herbis cum cortice peruviano in uſum vocabantur; (Nro. 34.) nonnunquam china china digeſtivo mixta ſumme profuit.

Potens remedium antiſepticum eſt cortex peruvianus cum alumine externe applicatus.

Ubi in febre putrida vermes aut per os aut per alvum egerebantur, mixturæ cum cortice peruviano drach. ſemis, aut ſcrup. ij. radicis valerianæ cum ſucceſſu addidi.

Si tremores, ſubſultus tendinum, convulſiones obſerventur, præter acida corticem peruvianum, vinum auſtriacum, & remedia penetrantia & excitantia danda ſunt.

Inter tot millia acute decumbentium experientia didici: ægris, quorum pulſus parvus, debilis, ſed æqualis & mollis erat, camphoram & ſerpentariam profuiſſe; iis vero, qui pulſum tremulum, inæqualem, intermittentem, ſed mollem habebant, ſpiritum cornu cervi cum eſſentia caſtorei majoris opis fuiſſe.

Quamprimum vero pulſus leviter durus erat, moſchus ſolus levamen tulit; hic

enim, quin ſtimulum augeat, vel permanentem faciat, nervis amicus eſt.

A mixtura ex ſpiritu cornu cervi & eſſentia caſtorei plurimis ægris ſanitas reſtituebatur.

Optime monet Illuſtr. van Swieten, (a) quod majori cum fiducia nunc utamur ſalibus alcalinis, poſtquam per experimenta Cel. Pringle conſtitit, putredinem per hos ſales non promoveri, uti antea credebatur.

Caſtoreum contra tremores laudat Foreſtus (a) & merito ad inordinatos ſpirituum motus compeſcendos commendatur.

Ubi vero uſu mixturæ hujus (Nro.20.) pulſus parum durior evadit, quod rariſſime obſervavi, moſchus ſubſtituendus eſt.

Nonnulli ægri camphoram non ferunt. Ego ipſe ante plures annos febre putrida laborans (a qua per Illuſtr. Facultatis Medicæ Præſidem & Archiatrorum Comitem Lib. Bar. de Störck liberatus fui) a levi camphoræ doſi ſumpta ſemper convellebar.

Pu-

(a) Tom. IV. pag. 223.
(b) Lib. 10. Obſervatione 99.

Publicæ gratitudinis teſtimonium erga virum hunc Celeberrimum hoc loco adducere liceat. An. 1772 febrim putridam adeo vehementem contraxi, ut univerſa fere civitas (quem immeritum licet favorem gratiſſimo ad cineres usque ſervabo animo) jam mortem meam doleret, per præfatum Virum cortice, veſicantibus, ſerpentaria, &c. ex orci faucibus ereptus fui.

Hoffmannus a ſcrupulo vel dimidia drachma camphoræ nec majorem æſtum, nec pulſum adauctum, ſed potius manifeſtum refrigerium, præſertim circa præcordia obſervaſſe ſcribit; imo addit, quod uncia ſpiritus vini ingeſta, vel unicus hauſtus vini generoſi plus caloris corpori inferat, quam duæ drachmæ camphoræ.

Multi Medici autoritate hac firmati duas, tres camphoræ drachmas intra nicthemerum nonnunquam ſumendas volunt, & felices inde effectus recenſent.

Ego nec Cel. Hoffmanni, nec aliorum Clarorum practicorum fidem & obſervata denegare cupio; fateri ſolum debeo, me nunquam ultra decem, quindecim, ad ſum-

mum viginti grana nicthemero præſcripſiſſe.

Vidi enim in multis, quibus camphora majori doſi exhibita fuit, pulſum celerrimum, faciem ruberrimam, oculos torvos, inflammatos, convulſiones & phrenitidem lethalem ſecutam fuiſſe.

Veroſimilius itaque cum Cel. Profeſſore Cranz (a), qui camphoræ vires admodum calefacientes & ſtimulantes cenſet, eam ad ij. vel iij. tantum grana exhibendam judico, ubi materies morbi difflari poteſt; nocivam autem, ubi inflammatio partem adurit. Ejusdem mentis eſt Clar. Vogel (b), dum ait: refrigerandi autem ſcopo nunquam quemquam vidi aſſumpſiſſe camphoram, nam ſi quis velit drachmam dimidiam ſpiritus vini camphorati per duo ſaltem minuta horæ ore continere, idque eo colluere, certe non de calore tunc conqueretur, ſed de ardore igneo & urente, ipſum halitum reddente igneum. Celeber. Tralles, qui olim virtutem refrigerantem cam-

(a) Materia medica & chirurgica. Tom. I. pag. 191.
(b) Hiſtoria materiæ medicæ. pag. 314.

camphoræ credidit, contrarium in proprio corpore dein expertus fuit (a). Geoffroy (b) monet, quod a nimio camphoræ usu gravitas capitis, vigiliæ & dispositio ad inflammationes nascantur.

Neque obest Clar. Muzelii observatum, qui maniacis & melancholicis quotidie unciam dimidiam exhibuit absque ulla pulsus, aut morbi mutatione; constat enim, similes ægros sæpissime nec a fortissimis drasticis, nec ab ingenti spirituosorum copia, nec a magna opii dosi mutari, nemo tamen inde drasticis vim purgantem, spirituosis inebriantem & calefacientem, & opio virtutem paregoricam negabit. Ii ipsi, qui olim camphoram ingenti illa dosi exhibebant, nunc eam aut vix, aut moderate præscribunt.

Quandoque a materia putrida acerrima, ex massa humorum secreta & ad primas vias delata, hæ inflammantur, pulsus antea satis mollis (ut superius notavi) in parvum, durum mutatur, respiratio fit difficilior,

(a) Histor. choler. pag. 75.
(b) Traité de la matiere médicale. Tom IV. pag. 30.

cilior, genæ magis rubent, deliria increſcunt & æger poſt ſummas anxietates moritur.

In peſſima hac febris putridæ indole cortex peruvianus vix levaminis quidquam fert, imo ſymptomata ex uſu ejusdem augeri videntur. Sola ſalus in ſero lactis cum ſpiritu vitrioli parato, (Nro. 35.) atque prudenti moſchi uſu exſpectanda.

Si morbus oriatur ex fomite putrido, mox in maſſam humorum delato, ut a contagio, vel ex effluviis putridis, febris naſcitur periculoſiſſima; ſubito maligna. Incipit cum maxima proſtratione virium, ſopore; pulſus eſt celer, parvus, brevi inæqualis, undoſus, intermittens, oculi ſunt turbidi, accedit tremor, convulſiones, &c.

In hac febris putridæ ſpecie venæ ſectio ægrum necaret.

Si putreſcens ſimul in ventriculo materia, mox vomitorium exhibendum, materies enim putrida cum ſaliva & alimentis deglutita in ventriculum delata adeo ſubtilis eſſe videtur, ut moram diu non patiatur, ſed ſubito maſſam humorum intret.

Neque

Neque tamen in omni putrida ex contagio orta, ut quidam ſuadent, emeticum eſt dandum; infectio enim & per inſpirationem & inhalationem fieri valet, cum nicthemeri ſpatio plus, quam libram inhalemus.

Peſſimus quoque error foret, abs neceſſitate purgantia propinare, dum fractis adeo viribus facile inde diarrhœa colliquativa, convulſiones, &c. ſequuntur.

Acida mineralia largiſſima doſi in uſum vocanda, brevi quoque ad corticem peruvianum deſcendendum, vires vino auſtriaco, vel rhenano erigendæ. Sopor, aut delirium, materiem morbiferam a ſuperioribus per veſicantia derivandam indicat.

Tremor, ſubſultus tendinum, convulſiones accedentes, medicamenta ex camphora, ſpiritu cornu cervi, moſcho (Nro. 17. 18. 19. 20.) pro diverſitate pulſus indicant.

Solvitur febris putrida variis viis. Si non adeo gravis ſit, nonnunquam vomitu terminatur, arte, vel quod rariſſimum, natura producto.

Hæmorrhagia ſola morbum vix tollit, poteſt tamen cum euphoria fieri, ſi ſatis

cito

cito accidat & putrido inflammatorium junctum ſit.

Ubi malo provecto ſupervenit & ſanguis tenuis nec facile, ubi frigeſcit, coeuns vehementer erumpit, humores a putrido fomite ſolutiſſimos ſignificat & lethalitatem morbi notat; in hoc ſtatu acidorum mineralium, corticisque doſis augenda & a ſtimulantibus abſtinendum eſt. Spiritus nitri dulcis aut liquor anodinus mineralis exigua copia prioribus remediis jungi poteſt.

Externa quoque auxilia contra hæmorrhagiam narium in capite de febre ardente dicta in uſum vocanda.

Sudor criticus æqualis eſſe debet, qui enim circa caput, faciem & cervicem ſolum oritur, in gravibus mortem, in mitioribus morbi longitudinem notat.

In principio morbi vix quidquam boni a ſudore exſpectandum, niſi forte in conſtitutionibus epidemicis, ubi materies morbi adeo tenuis, ut cum primo ſudore diffla-ri poſſit.

Frequentius in initio putridarum ſudor copioſus ſordibus in primis viis hærentibus origi-

originem debet & excuſſa per emeticum ſaburra, aut purgante dato evaneſcit.

Cavendum itaque, ne regimine calido aut medicamentis ſtimulantibus ſudor exprimatur.

Sudore critico apparente corpus moderate tegendum eſt, acidiuſcula diluentia perpetuo ingerenda; arcenda aura frigida, aut aër per rimas anguſtas intrans, ægrum alluens.

Sudores critici nimii, niſi calido regimine urgeantur, rariſſimi ſunt; ſi tamen occurrant, ut æger exinde debilitaretur, abſterſio corporis, aër frigidiuſculus ſenſim & cum prudentia admiſſus, largus corticis peruviani & acidorum mineralium uſus facile hos compeſcet.

Diarrhœa in febre putrida frequenter critica eſt. Damnavit quidem Hippocrates alvi fluxus impenſe graveolentes, colliquativos, ſed rariſſime in febre putrida alvus cocta occurrit, & experientia conſtat, alvum ſumme putrem & graveolentem in vigore morbi criticam fuiſſe.

Noſcitur critica diarrhœa ex levamine morbi, ſi enim talia purgentur, qualia opor-

oportet, confert & facile ferunt. Abſtinendum tunc a ſalibus mediis, aliis vero remediis ſuperius nominatis pro diverſitate ſymptomatum ſtrenue pergendum.

Si adeo crebræ alvi dejectiones, ut pulſus parvus, debilis, inæqualis fiat, vires admodum minuantur, morbus eſt periculoſiſſimus, difficillimus ſanatu, quia, quæ diarrhœam domant, febrim augent & ſi dejectiones non impediantur, pereunt ægri.

Similis diarrhœa originem ſæpiſſime debet vomitorio ab initio morbi neglecto.

Remedia in hoc ſtatu requiruntur, quæ & putredini reſiſtunt & nimiam partium laxitatem impediunt. Primo loco bolus armena in auxilium vocanda. (Nro. 33.)

Pro potu infuſum ex floribus ſambuci & rhæados ſpiritu ſulphuris acidum redditum exhibendum eſt, vel & decoctum ſalep, aut orchidis cum ſpiritu vitrioli.

Si pulſus ſit mollis, extracti loco cortex peruvianus in ſubſtantia propinandus, qui putredinem corrigit & roborat, hinc utrique ſuperius notatæ indicationi ſatisfacit.

Soleo

Soleo pulverem chinchinæ ſubtiliſſime pulveriſatum exhibere, cum minus nauſeoſus & vix ſtomacho moleſtus ſit. Sed circa pulveriſationem corticis monente Bergio (a) obſervandum, quod primus, leviorque pulvis abjiciendus ſit, quippe qui plerumque nonniſi epidermide corticis, lichenibusque annexis conſtat.

Urgente neceſſitate ad adſtringentia recurrendum, cortex ſimarubæ, ſuccus catechu ad ſcrup. ij. vel dr. j. mixturæ addendus; hic enim & ſimul adſtringit & putredini reſiſtit.

His omnibus non proficientibus laudanum liquidum, ſed prudenti manu propinandum.

Si diarrhœa minuta abdomen infletur, anxietas, reſpiratio difficilis oriatur, ab adſtringentibus abſtinere, alvum clyſmate emolliente (Nro. 28.) eluere, cortice & acidis mineralibus ſtrenue pergere oportet. Ventre inde non detumente rheum prædictis pharmacis addendum eſt.

Peſſi-

(a) Materia medica. pag 106. Tom. I.

Peſſimum ſignum eſt, dum cum alvo liberiore abdomen tumet & inflatur; ſignificat enim ſummam fomitis putredinem & viſcerum debilitatem. In ſimilibus crebrius petechiæ malo omine conſpiciuntur, hinc Boërhaavius monuit, quod ubi puſtulæ purpureæ vel lividæ corpus deturpant, hypochondria tenſa & inflata ſunt, æger fere moritur.

Sanavi nonnullos fomentis abdomini impoſitis ex mentha, rore marino, &c. vino incoctis; curandum, ut lintea bene exprimantur, & ne nimis calida applicentur, vel frigefacta relinquantur. Clyſmata ex decocto corticis & chamomillæ (Nro. 36.) injiciebantur, interne mixtura ex cortice peruviano additis binis ſcrupulis vel dr. j. liquoris anodini mineralis exhibebatur.

Ægris debiliſſimis vinum rubrum aqua dilutum concedebatur.

Rariſſime critica per urinam evacuatio in febre putrida occurrit, ſæpiſſime tamen ut criſis nuncia apparet.

Nonnunquam mingendi difficultas accedit ab horizontali decubitu & lætus vidit anonymus Autor in febre noſocomica

medio-

mediolanenſi, cum jam chirurgus cathetere inſtructus accederet, ægros in poſitione verticali collocatos ſtatim ac abunde mingere potuiſſe (a). Nonnunquam in eadem epidemia involuntaria fiebat urinæ excretio, modica pro ratione potus cum abdomine tenſo; manum regioni hypogaſtricæ attente apponere fas erat; ſi tumor veſicæ figuram referebat, ſi preſſione nonnihil urinæ effluebat, catheteris experimentum inſtituere oportuit, magna ſiquidem urinæ copia educta fuit, licet ægrotantes itentidem, attamen involuntarie lotium antea dimitterent (b).

Non raro parotides, abſceſſus varii in febre putrida naſcuntur, quibus facile gangræna ſuccedit, niſi cortice peruviano in & externe adhibito impediatur.

Poſt febrem putridam nonnunquam ſudor debilitans manet, laudatur tunc merito ulterior corticis uſus.

Ob-

(a) Pag. 41. de febre noſocomica mediolanenſi.
(b) Pag. 5.

Obſervavit Cel. Werlhoff, quod cortex morborum acutorum reliquiis exſtirpandis & reſtituendæ tranſpirationi inſenſibili utiliter adhibeatur, egregium naturæ robur addat, & lentæ tabificæque ægritudinis metum & periculi reverſiones recidere ſoleat.

Tumores pedum œdematoſi fugata febre ægros interdum vexant, ſi nulla viſcerum abdominalium obſtructorum ſigna adſint, lenes frictiones pedum cum pannis laneis fumo ſuccini, aut benzoes imbutis conveniunt, pedes altius reponendi ſunt & faſciis ſpiritu menthæ & aceto rutæ irroratis in dies (prout tumor minuitur) magis conſtringendi.

Interna remedia ex cortice peruviano & marte (Nro. 37. 38.) juvant, cum ſymptoma hoc debilitati originem debeat.

Abſtinendum ab omni purgante, quod peſſime noceret.

Si vero obſtructiones viſcerum adeſſent præter frictiones redeuntibus magis viribus infuſa ex abſynthio, (Nro. 39.) centaurio minore, &c. vinoſa aut aquoſa locum habent.

Ap-

Appetitus languens cortice peruviano, amaricantibus & ſi alvus adſtricta ſit, ſalibus mediis erigendus, cavendum a ſpirituoſis.

Aëris puritas & renovatio non ſatis commendanda in febre putrida, ſecus æger putridas ſuas exhalationes inſpirat, aër magis calefit, qui calefactus & exhalationibus repletus elaſticitatem perdit, hinc ſomnus impeditur, æger debilitatur, ad ſudores ut plurimum nocivos diſponitur. Experientia docuit Clar. Pringle, putredinem multo rapidiorem eſſe in clauſo, quam aperto aëre.

Acetum patulis vaſis igni imponendum, ſic in vapores reſolutum putredinem aëris corrigit. Vaſa, quæ excrementa aut urinam recipiunt, ſubito evacuanda ſunt & bene eluenda.

Obſervata docuere, quod vapor aceti, pulveris pyrii nec profuerint ad mortalitatem febrium putridarum corrigendam, niſi cautum fuerit, ne multi ægri in eadem domo decumbant & aëris renovatio fiat. Hinc patet, quam difficilis putridarum cura in noſocomiis ſit, quæ potiſſimum locan-

tur inter alia & fortaſſis altiora ædificia, unde nec novus ſed jam particulis peregrinis inquinatus aër accedit, impurus vero diu remanet. Sæpe etiam fieri ſolet, ut æger in eodem, quo alius peſſimo putrido morbo exſtinctus eſt, locetur lecto, unde etſi linteamina nova & pura imponantur, non fieri poteſt, quin halitus perverſi in ſtragulis occulti noceant.

Induſia & lintea ſpurca renovanda; timendum enim, ne per vaſa abſorbentia putridum illud in corpus iterum ingeratur. Cautela tamen opus eſt, dum exanthemata prodeunt, aut æger admodum ſudat.

Si perpetuis ſudoribus æger diffluat, lintea ſicca leviter calefacta ſub induſio madido corpori apponenda & dein ſubito, ut aura frigidior caveatur, induſium ab homine ſano portatum, calore lecti tepidum redditum, induendum.

De diæta ea notanda, quæ prioribus capitibus dicta fuerunt.

Multi ex penuria putridam contraxere, iis toto decurſu morbi jura carnium tenuia ſucco citri addito largiſſime ingerenda erant ad corpus nutriendum & vires

con-

conſervandas; morbi enim, qui ab inanitione fiunt, repletione curandi ſunt.

Si in putrida gelidum potum expeterent ægri omnem alium faſtidientes, minime abſonum videtur illum concedere, cum in putrida, ubi ſanguis in diſſolutionem tendit, minus ejus coagula metuenda ſint: cavendum tamen, ne ſimul & ſemel ingentem copiam ingurgitent monente Illuſtr. van Swieten.

Ii, qui inſerviunt putrida decumbentibus, utantur acidis, aceto & ſale bene conditis, nec jejuni ægros accedant, cum his vehementior ſit inſpiratio obſervante Hoffmanno & aër ad interiora plenius admittatur; idem notat, quod graſſantibus populariter morbis ab aëris conſtitutione calida & humida tenuis diæta & moderatus boni vini uſus incolumes ſervet; vinum enim erigit, mœrorem pellit & timorem, qui in epidemiis ſemper major obſervatur. Nam animi affectus triſtes non tantum nocent, quatenus ab illis absque alia cauſa prægreſſa febris excitatur, verum etiam corpus ſic diſpo-

nitur, ut ab aliis causis facilius affici possit (a).

CAPUT V.

DE

FEBRE MALIGNA.

Febris maligna noscitur ex subita & summa prostratione virium, pulsus quandoque est celerior, quandoque naturali tardior, sed semper debilis, accedunt frequenter animi deliquia, somnolentia, subsultus tendinum, tremores, urinæ communiter pallidæ nonnunquam sedimentum deponunt, sæpe sine eo conspiciuntur, non raro materia quædam levis furfuri similis per totam urinam inæqualiter dispersa est. Lingua muco albicante obsidetur & ægri quandoque pituitam insipidam vomunt. Calor vix

(a) Swieten. Tom. II. pag. 127.

vix ſolet tribus vel quatuor gradibus naturalem excedere.

Cauſæ hujus morbi ſunt fructus crudi, fatui, panis ex frumento corrupto, aër nebuloſus, frigidiuſculus, contagium. Frequenter inter milites graſſatur maligna, dum ſub diu cubare, vapores ex terra exhalantes & pluvias excipere coguntur, dum veſtimenta madefacta ſiccis permutandi non eſt locus & dum eos terror, metus & mortis formido percelit.

Triplex occurrit maligna: una ubi inflammatorii quidquam junctum eſt, altera, in qua putredo malignitati accedit; & tertia, quæ forte in ſero, forte in nervis hæret.

Prima ſpecies vix poſſibilis videtur, cum notante Huxhamo, inflammatoria ab oſcillatione vaſorum & ſanguine denſiore oriatur; lenta autem & nervoſa effectus ſit vaſorum nimis laxorum & ſanguinis inertis atque tenuis.

Reperiuntur tamen, ſubjungit ſupra laudatus Huxham, varii morbi, præcipue illi contagio excitati, qui utrisque ſunt communes: ſimilis certe anno 1770 graſſabatur.

Incipiebat morbus cum calore, tussicula, genis rubentibus, respiratione difficiliori, sopore, prostratione virium, pulsus non admodum plenus, sed celer & solito durior erat, urina fere naturalis. Plures in eadem domo fere semper hac febre corripiebantur, inter pauperes præcipue grassabatur. Perpetuæ aëris vicissitudines præcedebant & magna tam per pluvias, quam per nives pluribus mensibus humiditas.

Sanguis pauca quantitate detrahendus erat, conveniunt enim potius repetitæ, quam largiores phlebotomiæ.

Cruor eductus levissima crusta obductus conspiciebatur, venæ sectione neglecta pulsus in parvum, subdurum mutabatur, ac si filum æneum per arteriam ductum esset, accedebant subsultus tendinum, convulsiones, deliria ferocia, respiratio summe anxia & ægri stertorosi moriebantur.

Præmissa venæ sectione exhibui sequens decoctum:

℞. Flor.

℞. Flor. Verbasc.

— Sambuc. āā unc. j.

Infund. per ℥. hor. partem in aqua font. fervid. colat. lib. j. Adde

Succi citri dr. vj.

Syrup. 5. Rad. aper. unc. jß.

Sumat omni bihor. unc. ij.

Pro potu erat decoctum hordei cum oxymelle.

Quarta aut quinta ut plurimum die sputa pauca, sed exscreatu difficilia prodibant, hinc unc. j. oxymel. scillitici decocto addenda erat.

Nonnunquam secunda aut tertia jam die tremores ingentes, subsultus tendinum cum pulsu celeri, undoso & gravi sopore accedebant; quare quatuor, nonnunquam quinque vesicantia applicanda erant.

Camphora moderata dosi cum successu propinabatur, majori data sudorem, calorem, linguæ siccitatem, sine levamine augebat.

Raro ſola camphora ſufficiebat, ſed mixtura (Nro. 20.) jungenda erat; hinc omni trihorio aut quadrihorio cochlear mixturæ exhibebatur, donec pulſus æqualior, fortior, mens magis ſerena & ſymptomata minuta notarentur.

Urina tunc erat magis colorata cum levi mucoſo ſedimento.

Judicabatur morbus per æquabilem, copioſum ſudorem, ſed & ſimul largius erat urinæ profluvium.

Ubi ægri calido regimine morbi initio vexabantur, ubi plures homines etiamſi ſani in eodem cubiculo degebant, vel ubi ingruente morbo jam quidquam putridi in ventriculo hærebat, febris putrida accedebat & petechiæ ſine levamine erumpebant; cortex peruvianus, acida mineralia, ut in capite de putrida dictum fuit, exhibenda erant.

Ceterum in maligna ſimplici acida & refrigerantia locum non habent; hinc monet Freindius, (a) quod diverſa ſit inſania, qua inſaniunt nonnulli, quorum in acido

(a) Comment. de Febr. III.

acido posita est omnis curatio, quique spem nullam nisi in aceto, aut pomorum agrestium succo collocant, quasi, quia nefas est ægrotum comburere, ideo protinus frigore enecare oporteat.

Nonnulli satis cito sanabantur, quidam longo tempore ad perfectam sanationem usque decumbebant, paucissimi in morbo hoc atrocissimo methodo relata tractati moriebantur.

Si putrida malignæ juncta est, nausea, anxietas ad præcordia, abdomen tensius notatur, urina magis colorata est & sudores fœtidissimi.

Remediis cardiacis & putredini resistentibus, ut in capite de febre putrida dictum, morbus debellandus.

In tertia febris malignæ specie, dum morbus a contagio ortus, miasma salivæ mixtum in ventriculum delatum nonnunquam appetitum prostratum, nauseam, vomendi conatus causat, subito emeticum convenit, ne diathesis inflammatoria in ventriculo oriatur, vel miasma massam humorum ingrediatur.

Non-

Nonnunquam vomitus ſine ſignis aut inflammationis, aut latentis in ventriculo ſaburræ ægros vexat, prodeſt tunc infuſum menthæ; ſi non ſufficiat, emplaſtrum de labdano cum camphora regioni ventriculi applicandum; urgente admodum neceſſitate dr. j. electuarii diaſcordii omni trihorio aut quadrihorio exhibenda, donec vomitus minuatur.

Venæ ſectio in febre maligna nocet peſſime, nec clyſmatibus in hoc morbo locus eſt.

Plurimum proſunt veſicantia, raro duo ſufficiunt; ubi magnus ſopor, utiliter nuchæ apponuntur.

Diluentia aquoſa ſola non juvant, ſed talia requiruntur, quæ ſtimulant & lentorem illum forte nervis inhærentem corrigunt. Infuſum menthæ & florum ſambuci ſyrupo de duabus edulcoratum ſæpius ſumendum.

Ubi tremores, ſubſultus tendinum, convulſiones, &c. camphora, ſpiritus cornu cervi, moſchus, ſerpentaria in auxilium vocanda.

Cor-

Cortex peruvianus in febre maligna non multum opis fert, ſi pulſus admodum celer, undoſus, inæqualis; prodeſt tamen ad finem morbi ſpiritui Mindereri junctus, ubi poſt uſum remediorum pulſus in æqualem quidem, ſed parvum & ſano tardiorem mutatur.

Incerta eſt ad mortem & ad ſalutem dies.

Signa, quæ ſanitatem ſperare faciunt, ſunt: majus robur pulſus, urina magis tincta, caput liberius.

Quandoque hic morbus ſine evacuatione notabiliore terminatur.

Parotides, miliaria, urina ſæpius hanc morbi ſpeciem levant, ſæpiſſime vero ſudor æquabilis.

Diarrhœa in febre maligna rariſſime critica eſt, hinc & initio morbi, ubi nulla ſigna ſaburræ in ventriculo latitantis, ſed maxima debilitas, compeſci debet, & ad finem morbi juſto etiam tempore eveniens, ſi paulo largior ſit, moderanda, optime monente Tralles & Pringle, cum vires ad mortem usque emungat; hinc laudano liquido, vel electuario diaſcordii prudenti

manu

manu dato compeſcenda eſt. Diarrhœa minuta ſudor levans ut plurimum ſequitur.

Hæmorrhagia malignarum periculoſiſſima eſt. Wepferus contra eam ichthyocollam commendavit.

Prodeſt cortex peruvianus, liquor anodinus mineralis cum ſpiritu vitrioli.

Externe ea conveniunt, quæ in capite de febre ardente recenſita fuerunt.

Aëris puritas non ſatis commendanda, hinc acetum candentibus prunis imponendum & tempore admodum humido ſpiritus vini accendi poteſt.

Cavendum ne corpus nimiis ſtragulis obruatur; cavendum quoque, ne ægri lecto eximantur & erecti ſedere cogantur, quia vires cordis, optime notante Pringle, nimis debiles ſunt, quam ut ſanguinem aliter, ac in ſitu horizontali ad cerebrum ferant.

Victus ex hordeo, panatella propinandus & præcipue, ſi æger appetat, moderatus uſus vini rhenani, aut auſtriaci concedi poteſt.

Tremor fugata jam febre nonnunquam remanet a debilitate & inanitione; hinc

nutri-

nutrientia, roborantia, ut cortex peruvianus, vina oleosa, frictiones, exercitia corporis suadenda.

Sudor quoque absente jam febre ægrum vexat; tollitur infuso salviæ vinoso, spirituoso, cortice & si vires admittant, equitatione & exercitio corporis.



CAPUT

CAPUT VI.

DE

MILIARIBUS.

Miliaria alia rubra ſunt, alba alia; hæc plerumque graviorem comitantur morbum, ſed & rubra periculoſa eſſe poſſunt teſtante Allionio.

Sæpe alba & rubra mixta conſpiciuntur, nonnunquam confluunt, hæ potiſſimum pejoris indolis.

Miliaria ſunt ſporadica, epidemica & quandoque in paludoſis locis endemica.

Frequenter in febribus catarrhalibus ſpectantur, crebrius puerperas infeſtant, modo gravioribus, modo levioribus ſtipantur ſymptomatibus, ſæpe exſiccantur, iterumque in eodem morbo apparent

Præcedunt miliaria febris acuta, anxietas, dolor ſpinæ dorſi, oppreſſio pectoris, tuſſicula, dolores rheumatici, oculi

lacry-

lacrymantes, urinæ quandoque ſine ſedimento, quandoque eneurema deponunt.

Incerta eſt eruptionis dies, criticis 4ª, 7ª, 9ª, 11ª, 14ª, 17ª, &c. ſed & aliis indiſcriminatim diebus prodeunt.

In noſocomiis dies critici determinari vix poſſunt, optime noſcunt Polyatri, qui quotidie pauperibus medicinam faciunt, quam difficile ſit, ex vulgo morbi prægreſſi hiſtoriam expiſcari.

Collum, jugulum, pectus primum occupant, rariſſime faciem. Supra cutim in puſtulas rubras vel albas ſemen milii & lentes ſubinde aquoſas referentes elevantur, exſiccantur, furfuracee deſquammantur, iterum redeunt, nonnunquam rumpuntur & humorem fundunt ſeroſum.

Prognoſis varia eſt; robuſti, ſanguinei rarius corripiuntur miliaribus, ſed & magis inde periclitantur, quam feminæ molles & viri laxi.

Quo copioſiora miliaria, eo potiſſimum periculoſiora; morbum nonnunquam levant, nonnunquam nil mutant, hinc a multis Medicis critica, ab aliis ſymptoma-

tica morbo accidentalia dicuntur; paucis notabo, quæ mihi colligere licuit.

A ſordibus in ventriculo hærentibus vomitorio non ejectis miliaria erumpunt. Illuſtr. van Swieten id notaſſe videtur, dum dicit, an non forte in febribus collectis circa præcordia ſordibus quandoque exanthemata prodeunt. Certe mihi talia in morbis curandis occurrebant, quæ huic ſententiæ favere videbantur, cum nempe ſurſum vel deorſum ſponte vel arte deturbatis his ſordibus evaneſcebant hæc exanthemata. Confirmat idem Zimmermann, (a) qui miliaria ut ſymptoma periculoſum vidit, ubi in principio diſſenteriæ debita evacuantia in uſum non vocata fuerunt.

Iis, qui calidiore regimine tractantur, frequentiora ſunt miliaria, ubi difflatis ſubtiliſſimis craſſiora ad vaſa cutanea moventur, apparebat id, dum Fratres Miſericordiæ acuta decumbentes ex nimia ſollicitudine ſæpius ab aſſiſtentibus ejusdem ordinis ſtragulis plus tecti crebrius miliaribus laborabant, ubi

(a) Von der Ruhr unter dem Volke. S. 26.

ubi reliqui Nosocomii ægri rarissime exanthemata habuerunt.

Illustris Sanchez, olim Augustissimæ Russorum Imperatricis Archiater inter Germanos solos miliaria vidit, dum ipsis Russis eadem raro vel nunquam accidere observavit, adscribit id stragulis plumaceis, quibus priores cooperiuntur.

An non ideo frequentiora puerperis miliaria? dum omnis aura a feminis adstantibus arcetur, hinc, cum aquosis tepidis abutantur, materia facilius ad cutim disponitur.

Soli vero huic causæ exanthematum eruptionem adscribere, nec ratio, nec experientia suadet. Sic Celeb. Baldinger (a) notat rara fuisse in exercitu Regis Borussiæ miliaria, licet calor cubiculi & remedia calida vexassent ægros.

Tralles assumpto opio in febribus exanthemata generari dicit: an non ab aucto inde humorum motu & impeditis evacuationibus.

(a) Von den Krankheiten einer Armee. S. 159.

Quandoque epidemica conſtitutione prodeunt. Sic anno 1758 omnes fere acuta decumbentes hæc exanthemata habuerunt, licet primis viis purgatis, nec ſtragulis onerati, aut medicamentis calidis vexati ægri fuiſſent.

Stimulum certe in aëre nos ambiente latere poſſe mens eſt magni aphoriſmorum Boerhaavii Commentatoris.

An non quandoque talis conſtitutio ab inſectis per aërem diſperſis? ſuadent id Linnæi obſervata, licet omnia vel plurima exanthemata ab inſectis naſci minime contendam.

Cum Cel. Cullen obſervavi, frequentiora miliaria iis eſſe, qui magnas ſanguinis depletiones paſſi ſunt. Forte quia Medici vires ægrorum nimium languentes medicamentis ſtimulantibus, ſudoriferis & calido regimine non raro erigere ſtudent.

Erumpunt nonnunquam effloreſcentiæ miliares moderato aëris regimine datis antiphlogiſticis, evitatis ſtimulantibus, die critica, præcedente magna anxietate, inquieta corporis jactatione, anheloſa reſpi-

ratio-

ratione, quæ apparentibus exanthematibus levantur.

Simul pulſus parvus in magnum, inæqualis in æqualem, cutis arida in madeſcentem mutatur, oculi turbidi clariores redduntur, hinc ſecretio materiæ morbificæ & ejusdem per vaſa cutanea excretio fieri videtur, prout id obtinere ſæpius citatus Lib. Baro van Swieten meminit, dum Tomo 2do ſtatuit, febrilia exanthemata frequentiſſime inde fieri, quod per febrim deponatur materia critica in vaſa quædam obſtructa dilatata vel rupta, & pag. 404 monet, quod in febribus malignis lenitas & levamen obſervetur, dum exanthemata erumpunt.

Proſper Alpinus quoque in immortali ſuo de præſagienda vita & morte ægrotantium tractatu puſtulas parvas milio ſimiles malas quidem & exitioſas quandoque ſtatuit, bonas tamen eſſe dicit, ubi natura præſertim critice excernit humores ſumme putridos & ubi cum ſignis coctionis apparent, annectit, ægroti enim ipſis erumpentibus maxime levantur.

Nec obſtare videtur, criticam non eſſe per miliaria evacuationem, quod aut ſudor aut urina cum ſedimento lateritio ſæpius juncta ſit. Frequenter enim occurrit, eos, qui diarrhœa judicantur, ſudare nonnunquam, & urinam talem deponere.

Confirmat id Aræteus, qui, poſtquam dixerat larga narium hæmorrhagia vel alvi dejectionibus morbum levari, addit, eſt etiam, quod in urinas convertitur, quibus autem omnia ſimul accidunt, ii celerrime ſublevantur.

Ex his forte apparet miliaria nonnunquam critica eſſe, quod maxime in febribus catarrhalibus & rheumaticis accidit.

Ipſi hujus ſententiæ adverſarii ab exanthematibus levamen ſperare videntur, dum corticem peruvianum ut remedium expulſionem exanthematum ſumma cum ægrorum euphoria promovens, ſuſtinens, maturans, perficiens laudant.

Peſſime tamen errare videntur ii Medici, qui exanthemata regimine calido & medicamentis ſtimulantibus extorquere ſtudent, hac enim methodo ſubtiliſſima diſſipantur, craſſiora in corpore remanent, ægri

ſudo-

ſudoribus diffluunt, febris accenditur. In ſimili caſu, ſi miliaria erumpant, anxietas & cetera ſymptomata non minuuntur, verum augentur & deliria, phrenitis ſuccedunt.

Arcendus tamen frigidior aër, cavendumque, ne ægri ex lecto eximantur, adverſarii enim calidioris regiminis teſtantur, quod ægri miliaribus decumbentes debiles admodum ſint, & ad minimam auram frigidam perceptam pernicioſe habeant, imo plures, dum ad neceſſaria corpus erigere geſtiunt, animo linquantur.

Cura in miliaribus ea eſt ac in febribus, quæ ſine his terminantur, decoctum hordei, ſuccus citri, acetum, oxymel, ſyrupus ribium, rubi idæi &c. in uſum vocanda.

Peſſimum præjudicium nonnullorum animis inſedit, cum in miliaribus odor vapidi aceti notetur, abſorbentia exhibere & acidiuſculorum, acidorumque uſum interdicere. Sitis ingens & appetitus, quo ægri ad acida feruntur, id non peccare, ſed metum putredinis adeſſe docent, cadavera certe eorum, qui miliaribus pereunt, cito intolerabiliter fœtent & intumeſcunt.

Hallerus (a), dum Leidæ paucis cadaveribus avide uteretur, obſervavit, muſculos viſcorem concepiſſe cum acido manifeſto odore; ſolet autem acor, qui putredinem præcedit, ingratus eſſe, videtur enim in animali putreſcente rancor corrupti olei ſe cum evoluto acido conjungere.

Ubi ingens calor, dolor capitis, rubor faciei, pulſus durus præſentibus etiam exanthematibus, venæ ſectio inſtituenda.

Abrahamus Nehemias (b) Luſitanus jam voluit: ut poſt exanthematum eruptionem, præſertim ſi antea ſanguis miſſus non fuerit, ſi adſit plenitudo, vena ſecetur, additque, denique in omni morbo, omni tempore, loco, ætate etiam puerili & ſenili, ut ſimul omnia complectar, ubicunque apparuerit ſanguinis plenitudo cum virium robore, ſanguis mittendus citra ullam exceptionem.

Ubi vires deficiunt, pulſus inæqualis, debilis, intermittens eſt, vinum auſtriacum, ve-

(a) Supplem. II. pag. 35.

(b) Methodus medendi univerſalis per ſanguinis miſſionem & purgationem. Lib. II. cap. 2.

veſicantia, camphora, cortex peruvianus, &c. pro varietate ſymptomatum, ut in prioribus capitibus dictum, in auxilium vocanda.

Nonnunquam ſubito diſparent miliaria, quod malum ſignum, niſi alia levans evacuatio accedat, ſecus anhelitus, diſpnœa, deliria, oppreſſio præcordiorum, ſubſultus tendinum, convulſiones & non raro mors ſequitur.

Quo copioſiores puſtulæ & prominentiores, eo majus iis ſubſidentibus periculum.

Retrocedunt miliaria ab exceſſu in eſculentis & potulentis, calido nimis regimine, ab aura frigidiore, diarrhœa copioſiore, hinc diverſa requiruntur auxilia, ut miliaria iterum ad exteriora ducantur.

Pulſus durus, facies rubra, calor magnus venæ ſectionem indicat, quandoque repetendam; maxime ſi exanthemata a ſpirituoſis aſſumptis, aut lochiis ſuppreſſis originem duxerunt.

Sanguis eductus ſæpe denſiſſimus conſpicitur, hinc patet, miliarium eruptionem ſoli putridæ ſanguinis ſolutioni tribuendam non eſſe.

Antiphlogiſtica remedia ex radice graminis cum ſale polychreſto, oxymelle, ſucco citri, &c. in uſum vocanda, corpus moderate tegendum, ab omnibus calidis ſtimulantibus remediis abſtinendum.

Miliaria ut ſuperius monui, exceſſu eſculentorum retrocedunt, noſcitur id ex relatione ægri, ſenſu ponderis ad ſcrobiculum cordis, ructibus male olentibus, nauſea & vomendi conatu. Diluentia tentari poſſunt, ſi ſymptomata inde non minuantur, ſaburra in ventriculo hærens infuſo Ipecacuanhæ ejicienda eſt. (Nro. 40.)

Si nullus in diæta error prægreſſus, nec latitantis in ventriculo ſaburræ adſint ſigna & miliaribus retrocedentibus vomituritio, aut vomitus ſequatur, notat, materiam morbi ad ventriculum latam eſſe, pulſus parvus, inæqualis, undoſus, vires admodum proſtratæ, tremores, ſubſultus tendinum obſervantur, cavendum a vomitorio, ſed veſicantia ſuris applicanda, theata tepida largiter exhibenda, camphora, moſchus, eſſentia caſtorei, ut in capite de febre maligna dictum, in uſum vocanda.

In

In convulſionibus poſt miliaria retrogreſſa ortis vix efficacius remedium ac moſchus occurrit, qui, ut Huxhamus teſtatur, ſine magno calore per cutim expellit, certe moſcho aſſumpto potiſſimum æqualis, blandus & levans ſequitur ſudor, quem tranquillus excipit ſomnus.

Continuare ſimul oportet diluentia, corticem peruvianum, &c. pro varietate ſymptomatum.

Si diſparentibus miliaribus, oborta largiore diarrhœa æger levetur, nihil mutandum eſt. Ubi vero debilitas, anxietas tremores, cetera gravia ſymptomata ægrum vexant; veſicantibus & internis remediis in prioribus capitibus nominatis diarrhœa ſenſim ſenſimque compeſcenda eſt.



CAPUT

CAPUT VII.

DE

PETECHIIS.

Aliæ ſunt rubræ, aliæ lividæ, demum & nigricantes, rariſſimæ ſed peſſimæ ultimæ, malæ quoque lividæ, ſed & rubræ periculoſæ.

Nonnunquam purpureæ aut lividæ prodeuntes in rubras mutantur, nonnunquam quæ rubræ prodierunt, purpureæ & lividæ fiunt.

Epidemicæ & ſporadicæ graſſantur, quandoque miliaribus junctæ ſunt, nonnunquam cum morbillis prodeunt & ſæpe poſt eos ſpectantur.

Incerto erumpunt die ut miliaria, vires proſtratas, pulſum debilem, deliria, ſoporem, ſitim & potiſſimum continuam remittentem febrem comitem habent.

Collum, jugulum, pectus, abdomen, femora, raro pedes occupant; ſi in facie

pro-

prodeant, periculo pleniores, dilatantur, non eminent, ſine deſquammatione abeunt, ſenſim diſparent; ſimiles ſunt morſibus pulicum, ab his diſtinguuntur, quod ſtigmatibus careant, quæ in morſibus pulicum conſpiciuntur, nonnullæ rotundæ & æquales ſunt, aliæ diffuſæ intra cutim latius procedunt, hæc ſpecies rarior, ſed periculoſior eſt.

Dum in febribus putridis primæ viæ non ſufficienter purgantur, petechiæ ſæpius apparent. Patet id ex medicamentis prægreſſis, nauſea vel appetitu proſtrato, abdomine magis inflato, alvo admodum fœtente, lingua ſpurca, urina jumentoſa, anxietate ad ſcrobiculum cordis, ſudore copioſo non levante.

Sed & petechiæ erumpunt, ubi materies morbi primo ſanguinem & humores afficit. In his ægris ſaburræ in primis viis latitantis ſigna abſunt, petechiæ citius cernuntur, urina minus craſſa & colorata eſt, ſopor, ſubſultus tendinum, tremores brevi ægros vexant, ſudor æquabilior, ut plurimum levans, ſequitur.

Non-

Nonnunquam conſtitutioni epidemicæ, ambientis aëris calori & medicamentis ſtimulantibus originem debent: hinc frequentius petechiæ morbillos aut variolas comitantur, vel in locis humidis arctis graſſantur, aut ubi multi ægri in aëre minus renovato decumbunt.

Petechias vix unquam criticas eſſe & experientia & ratio ſuadet, cum ceteris paribus, quo plures & copioſiores hæ eruptiones, eo morbus periculoſior. Aſſerit tamen Magnificus Störck, ſe juvantes petechias vidiſſe.

Familiares militibus petechias eſſe, teſtatur Mindererus, (a) quod per pluvias madefacti cogantur in humidis veſtibus dormire, optime ergo cautum erat, dum in exercitu noſtro milites palliis muniebantur.

Frequentiſſime apparent petechiæ in febre putrida, rarius in maligna, rariſſime in inflammatoria.

Cura differt pro ratione febris, quæ eas comitatur.

Pulſus

(a) Medicin. militar. pag. 375.

Pulſus durus, plenior (licet rariſſime occurrat) venæ ſectionem poſcit. Sanguis tunc eductus cruſta tenuiſſima tectus ſæpius apparet. Cura in his eadem eſt ac in febre continua ſimplici.

Petechiæ in febre putrida apparentes largiſſimam quantitatem acidorum mineralium & corticis peruviani poſcunt: obſervavit enim Huxhamus & alii Cel. Autores: ſanguinem in febribus petechialibus detractum vere fœtidum fuiſſe.

Vires labefactæ vino auſtriaco & levi camphoræ doſi erigendæ, majorem enim ſæpe non ferunt ægri. Sic egregius Carolus Strack (a) a XXIV. granis camphoræ de die ingeſtis febrim & morbum inde auctum vidit.

In petechiis cum febre putrida crebrior alvus animadvertentibus jam Wratislavienſibus timenda non eſt, imo ubi abdomen tumidum & inflatum, appetitus proſtratus, nauſea, lingua ſpurca animadvertitur, infuſo tamarindorum, tinctura rhei,

(a) Obſerv. medic. de morbo cum petechiis.

rhei, ſale polychreſto alvus ſollicitanda eſt, interpoſito acidorum mineralium & corticis peruviani uſu. Minus tuta purgancia ex ſcammoneo & jalappa videntur, quæ tunc a quibusdam autoribus commendantur. Si vero prædicta ſymptomata abſint, purgantia remedia vitanda videntur; optime Camerarius (a) aſſerit: petechiæ in certis epidemiis diarrhœa ſolvuntur, cave autem, ne ad omnes extendas, pluribus diarrhæa fatalis eſt.

Pro potu optime inſervit ſerum lactis ſpiritu vitrioli ad fortiorem aciditatem paratum.

Stimulantia & ſudorifera in ſimili caſu magis nociva quam proficua obſervantur.

Abdomine inflato præter remedia alvum leniter moventia clyſmata ex infuſo florum Chamomillæ proſunt.

Si petechiæ cum febre maligna apparent, ubi malum in ſero aut liquido nerveo hærere videtur, remedia in capite de hiſce febribus nominata conducunt.

Si

(a) Syſtem. cautel. medic. pag. 371.

Si pulſus parvus, debilis, ſed ſatis æqualis, camphora prodeſt; ubi vero pulſus tremulus, undoſus, mixtura (Nro. 20.) longe efficacior reperitur.

In febre maligna cum petechiis diarrhœa periculum portendit; hinc remediis in prioribus capitibus allatis brevi compeſci debet.

Quæ in præcedentibus de diæta & aëris puritate dicta fuerunt, in febre petechiali quoque locum habent.

CAPUT VIII.

DE

VARIOLIS.

Omnis ætatis homines, frequentiſſime vero infantes variolis afficiuntur, ab iis immunis eſt fœtus ſentiente Cotunio & Mauriceau exemplum narrat feminæ, quæ quinto graviditatis menſe graviter variolis decumbebat, absque quod infans minimum ſignum habuerit hujus morbi. Simile quid apud Olaum Borrichium legitur. Verum teſtatur Mead infantem in utero matris variolis laboraſſe & Cl. van Ipern uxor gravida, duos liberos variolis affectos absque omni incommodo curans, infantem ſanum quidem, in quo tamen veſtigia variolarum conſpicerentur, peperit, paulo ante partum,

tum, ubi fœtus probabilius hoc morbo laboravit, anxia fuit (a).

Sporadicæ ſunt & epidemicæ, hæ vernali tempore ingrediuntur, æſtate maxime graſſantur, minuuntur autumno & vix hyeme apparent.

Occurrunt diſcretæ & confluentes, ubi puſtulæ non ſunt diſtinctæ, ſed paulo poſt eruptionem in veſiculam rubram parum ultra ſuperficiem cutis protuberantem confluunt. Hæ periculoſiores cenſentur, ſed confluentes nonnunquam minus negotii faciunt ac diſcretæ. Hinc a Clar. Mead in benignas & malignas dividuntur.

Præcedunt variolas laſſitudo; dolor capitis, lumborum, horripilatio, anxietas ad præcordia, vomitus, celeritas pulſus, frigus, ſuccedente calore, quem ſudor excipit, febris minuitur, iterum augetur, ſopor ut plurimum infantes vexat, ex quo quaſi terrefacti ſæpius evigilant, adulti communius insomnes ſunt.

(a) Comment. Scient. Harlem. Vol. XVIII. pag. 596.

Tertio vel quarto die primum in facie, mento, pectore, collo apparent maculæ rubræ, parum tamen elevatæ, ut accuratius digito examinatæ tangi possint. Conspicitur dein in medio earum punctum pellucidius, quo a morbillis distinguuntur. Augentur postmodum variolæ numero, elevantur in pustulas, fiunt latiores & demum dorsum, pedes, femora petunt.

Eruptio potissimum per tres aut quatuor dies contingit, per totidem circiter suppurantur, simili tempore immutatæ manent, eodem ordine exsiccantur & per squammas decidunt.

Pus primo est tenue, dein magis flavescunt pustulæ & circulo rubro circumscribuntur. Si paucæ sint, cutis intermedia naturalis est coloris; si copiosæ, rubet & tumet: hinc facies primo ita intumescit, ut oculi claudantur. Dum pustulæ in facie exsiccantur, ejus tumor minuitur & manus maxime suppurant & inflantur, ultimo demum pedes.

Hic est ordo variolarum benignarum, malignæ & citius erumpunt & suppuratio-

nis

nis exſiccationisque tempus longius extenditur.

In adultis ſalivatio, in infantibus diarrhœa frequentiſſime accedunt.

In nonnullis febris & ſymptomata adeo levia ſunt, ut morbus non animadvertatur, niſi variolis jam apparentibus.

Quandoque tarde admodum erumpunt ob ſummam debilitatem.

Sunt & variolæ, quæ verrucarum formam induunt nulla ſequente ſuppuratione, ſed una fere exſiccatione terminantur.

Prognoſis eſt varia ratione conſtitutionis epidemicæ, ætatis, ſubjecti, ſymptomatum & variolarum ipſarum.

Nonnunquam epidemia admodum benigna eſt, non raro peſſimæ ſpeciei variolæ epidemice graſſantur, infantes ut plurimum facilius curantur, quam ætate provecti: gravidæ & puerperæ majus incurrunt periculum, plus quoque periclitantur cacochymici, ſcorbutici & venerei.

Quo variolæ citius prodeunt, eo periculoſiores notantur, quandoque tamen, ut ſuperius monui & malignarum tardior eruptio eſt ob ſummam ægrorum debilitatem;

tem; pulſus horum parvus, pallor faciei, totiusque corporis, ſopor profundus & maxima virium proſtratio animadvertitur.

Vomitus continuus, inquietudo, ingens ad præcordia anxietas, vehementes lumborum, dorſi, abdominis dolores, urina tenuis malignas communiter nunciant variolas.

Convulſiones in infantibus leviores ante eruptionem nil ſiniſtri notant, graviores & diuturniores ingentem febrim & copioſiſſimas variolas futuras indicant, timendæ maxime ſunt convulſiones, ubi poſt eruptionem accedunt, vel ſi retrocedentibus variolis, aut ſuppurationis tempore ſequantur.

Hæmorrhagia eruptionis tempore levamen fert; mala, quæ poſt eam ſpectatur. Infauſti ominis eſt hæmoptoes & mictus cruentus.

Diarrhœa rarior eſt in diſcretis, ſed periculoſior obſervante Helvetio, ac in confluentibus, cum vires frangat & puſtulas ſupprimat.

In benignis poſt eruptionem ſymptomata minuuntur; ſi vero calor, vomitus, deli-

deliria, ſopor continuent, vel ſubſultus tendinum accedant, morbus eſt periculo plenus.

Quo puſtulæ pauciores, plus elevatæ, reſpiratio liberior, eo benignior morbus.

Peſſimæ ſunt variolæ depreſſæ, ex atro rubentes, nigricantes, in medio foveam impreſſam habentes. Periculoſiſſimæ quoque cryſtallinæ, quarum puſtulæ ichorea & glutinea materia repletæ ſunt.

Purpureas maculas, variolis interſperſas mortis fere ſemper prænuncias vidit Sydenhamus.

Cura varia eſt.

Admodum benignæ variolæ remediis non egent, ſed diæta & dato ad finem morbi levi purgante curantur. In reliquis cura variat ratione ſymptomatum & virium.

Hinc ſi febris exorbitet, moderanda; ſi vires langueant, excitandæ, prout in capite de febribus in genere dictum fuit.

Certa ſigna variolarum ingruentium non habentur, licet febris, vomitus, dolor ſpinæ dorſi, conſtitutio epidemica ſuſpicionem futurarum variolarum reddant, ſi conſtet ægrum iis nondum laboraſſe.

Plenitudo & durities pulſus venæ ſectionem in omni morbi ſtadio indicat.

Peſſimus error, ob ſolam ſuſpicionem variolarum ſanguinem mittere.

Signa latentis in ventriculo ſaburræ vomitorium poſcunt, his abſentibus emeticum non convenit, licet nauſea & vomitus ægros vexent, cum ſymptomata hæc miasmati varioloſo originem debeant & medicamentis compeſci non poſſint, ſed diluentibus & eruptione tollantur.

Alvus clauſa clysmate emolliente aperienda.

Magnus calor, dolor capitis ſinapiſmos acriores poſtulant.

In initio variolarum medicamenta antiphlogiſtica, leniter alvum moventia ex aceto, ſucco citri, ſale polychreſto, nitro, ſyrupo roſarum ſolutivo conveniunt.

Pro potu limonada, ſyrupi aciduli aqua diluti vel decoctum hordei cum oxymelle propinandum.

Abſtinendum ab omnibus ſtimulantibus, ſic peſſimo effectu a plebe myrrha in initio variolarum propinatur; cavendum quoque, ne ſtragulis onerentur ægri.

Ac-

Accidit tamen, licet rarius, ut in eruptione jam vires vitæ deficiant, quod pulſus debilis, vires ſumme proſtratæ, urina pallida, ſopor, ſtupor docent; abſtinendum in his a clyſmatibus, medicamentis refrigerantibus; verum veſicantia apponenda & remedia ſtimulantia ex ſerpentaria, camphora in uſum vocanda. (Nro. 18. 19.)

Adultis vinum rhenanum, aut auſtriacum aqua dilutum pulchre prodeſt. Si primæ viæ oneratæ ſint, vomitorium aut leve purgans ex tinctura aquoſa rhei præmittendum.

Eruptione facta & in variolis diſcretis acida mineralia utiliſſima ſunt. Cum auctores teſtentur, quod & benignæ variolæ ſæpe ſine manifeſta cauſa in malignas mutentur & mors ſequatur.

Efficaciſſime putredini reſiſtunt acida mineralia, nec ſufficiunt vegetabilia in gravioribus variolis. Sic Clar. Schwenke obſervavit, lac ebutyratum & ſuccum citri in varioloſis putridis nihil ex putrido ægri mutaſſe, ſed in id brevi degeneraſſe.

Doſim acidorum mineralium magnitudo morbi & vehementia ſymptomatum de-

terminant. Sæpius drachma nicthemeri ſpatio ſufficiebat, ſed & ad unciam ſemis & drachmas ſex aſcendendum erat.

Uſu horum urina copioſa & alvus liberior ſequitur, præcavetur diarrhœa, quæ ſæpius acribus ſordibus in inteſtinis congeſtis aut ad inteſtina depoſitis originem debet.

Imminutis ſymptomatibus doſis acidorum mineralium minuenda.

Infantibus potum reſpuentibus ſpiritus vitrioli ſyrupo grato, ut rubi idæi, fragorum, &c. miſtus cochleatim exhibitus nonnunquam arridet, quidam aqua dilutum, ſaccharo ad gratiam addito, inſtar limonadæ hauriunt.

In adultis & ſubjectis fibræ ſtrictæ ſerum lactis cum ſpiritu vitrioli ad fortiorem aciditatem paratum magnæ eſt utilitatis.

Quandoque per unum aut alterum diem alvus ſilet, ſi nullum inde incommodum percipiatur, nihil movendum eſt; ubi autem dolor capitis, major calor, ſitis, abdomen tenſum notantur, clyſma emolliens injicere, mixturam cum ſalibus mediis exhibere oportet, donec alvus inde moveatur.

In

In ſtranguria tenues emulſiones ex amygdalis, ſeminibus melonum, ſyrupo althææ edulcoratæ proſunt.

Si ægri viribus labantur, feces admodum fœteant, neque variolæ pure bene repleantur, vel ſi mictus cruentus accedat, ad extractum vel decoctum corticis continuatis acidis mineralibus confugiendum. Miratus eſt Bergius (a), quod in variolis confluentibus cortex peruvianus ſalivationem nunquam inhibuerit. Convenit & brevi cortex peruvianus, ſi initio variolarum ſemitertiana accedat aut hac laborantes iis corripiantur.

Puella quindecim annorum ingenti mœrore confecta variolis corripiebatur, altero poſt eruptionem die puſtulæ cœruleo circumſcribebantur limbo, pulſus erat debiliſſimus, urina pallida, alvus libera, ſed nullus dolor, nulla anxietas vexabat ægram, variolæ confluebant in univerſo corpore, a minima preſſione, a mutato ſitu rumpebantur & tantam copiam ſeri limpidiſſimi fundebant,

(a) Mater. medic. Tom. I. pag. 110.

bant, ut lintea omnia madeſcerent; ſexta die ſalivatio accedebat, & per os, anum & pudenda ſanguinem coloris roſei excernebat, ſequebantur ſubſultus tendinum, tremores, pulſus inæqualis, ſopor; data fuit camphora, moſchus & mixtura ex cortice, ſpiritu Mindereri, aqua meliſſæ, ſyrupo kermes; ſed adhibitis omnibus incaſſum, perdurabat magna humorum colliquatio & undecima morbi die periit.

Alumen potens in diſſolutione humorum auxilium propinare non audebam, ne ſalivatio ſupprimeretur; brevi altera occurrebat ejusdem ætatis puella ſimilibus variolis decumbens, deerat tamen cœruleus ille puſtulas ambiens limbus, pedes brevi gangræna occupabat. Externe fomenta antiſeptica admovi, interne camphoram, corticem, ſpiritum Mindereri cum larga aluminis doſi adhibui, inde ſalivatio non ſupprimebatur, nec morbus in pejus ruebat; demum ob ingentem colliquationem dimidiam drachmam tincturæ martis prioribus pharmacis addidi, quibus integræ ſanitati reſtituebatur; manſit tamen per longiſſimum

tem-

tempus ulcus fœdum in naribus, quod demum plumbatis remediis ſanabatur.

Nonnunquam pulſus in debilem, inæqualem mutatur, pallent ægri, ſoporoſi decumbunt, tremoribus, ſubſultibus tendinum corripiuntur; his vires per ſpiritum Mindereri, camphoram, moſchum, veſicantia & calidius regimen erigendæ ſunt.

Bene attendendum, ne, ubi manus admodum tument, pulſus pro parvo habeatur, licet fortior ſit. Pulſu enim ſubduro licet debilitas magna adſit, remedia ſtimulantia, imo ipſe cortex nocuus obſervatur.

Quandoque in variolis reſpiratio difficilis cum ſtertore, exſcreatione difficili ſupervenit, decoctum ex radice graminis, althææ, floribus verbaſci addito oxymelle ſcillitico & ſimplici ſæpius hauriendum. In metu ſuffocationis leviſſima doſis kermes mineralis repetitis pro neceſſitate vicibus in uſum vocanda, continuatis tamen pro diverſitate ſymptomatum ſupra nominatis remediis.

Eadem methodus convenit in ſalivatione, ubi materies adeo craſſa, ut ſuffocationis metus naſcatur.

Diarr-

Diarrhœa nimia, quod pulſus & vires debiles docent, mixtura ex gummi arabico & laudano liquido moderanda.

Secus in hoc morbo opium non videtur convenire, cum ſudores moveat, febrim incendat, ad putredinem diſponat & humores acres in corpore retineat, ſalivationemque minuat.

Vidit Tiſſot in confluentibus ægros ſomno caruiſſe per ſeptem nicthemera, nec pejus ſe habuiſſe; alios excitari ſæpius curavit, dum & a ſomno naturali ſalivatio ſupprimebatur.

Exſiccatis variolis lenia purgantia danda, ut materies putrida, quæ in atroci hoc morbo nonnunquam in inteſtinis colligitur, evacuetur.

Variolæ parum flaveſcentes acuta forfice diſcindendæ ſunt, ſpongia aqua & lacte tepido madida abſtergendæ, & dum pure iterum replentur, denuo aperiendæ. Sic tenſio & dolor minuitur, ægro quies conciliatur, atque ingentes febres & abſceſſus, qui ex reſorpto in ſanguinem pure naſcuntur, præcaventur.

In

In variolis copiosis a pure effluente crusta formatur, totam sæpe faciem tegens, hæc lacte tepido humectanda est.

Aëris puritas toto morbi tempore imperanda, æstivo tempore siccitas & calor ramis sambuci aut fraxini aquæ immissis, vel aspersione frigidæ in pavimenta corrigenda, nec plures varioloſi in eodem cubiculo servandi, quia gravior inde redditur morbus testante Pringle.

Sed inconsultum videtur variolis aut sponte aut arte infectos rudiori aëri per dies exponere, id enim, quod sanos pessime afficere valet & ægrotos lædere solet; sic rheumatismos, pertinacem, siccam tussim licet non lethalem a nimis frigido regimine in inoculatis viderunt viri in arte exercitati.

Suppurationis tempore lintea & indusia mutanda sunt, ne in putridis sordibus decumbant ægri.

Victus ex panatella, cremore hordei, fructibus horæis coctis imperandus est.

Constat, ut opinor, ex prægressis curam variolarum ab initio antiphlogisticam esse, dein eam convenire, quæ in capite

de

de febre putrida commendabatur; nonnunquam tamen licet rarius, ſive in initio, ſive in progreſſu morbi, ſi malignitas variolis juncta ſit, ea in auxilium vocanda, quæ de febribus malignis dicta ſunt.

Magis enim toto morbi decurſu ad vires & ſymptomata, quam ad ſtadia variolarum attendendum, ex quorum nimis ſollicita indagatione confuſa potius, quam ſimplex & tuta medela habetur.

In numeroſiſſima, quam exerceo, praxi tredecim annorum ſpatio ſex varioloſos perdidi, inter hos duæ chirurgi cujusdam proles erant, quarum una confluentibus laborans morti jam vicina fuerat, dum vocatus eſſem; altera, me per binos dies abſente, a patre purgans acceperat, inde diarrhœa remediis non cedente periit.

Non hæc adduxi, ut opiner, me in ſanandis variolis excellere, ſed ut demonſtrem, quod ſimplex medela aliarum febrium continuarum curandarum in variloſis curandis ſufficiat, & memorem ſolummodo Medicum eſſe oporteat moniti Ill. van Swieten (a), ut omni cura inquirat in

(a) Tom. II. pag. 493.

in genium morbi, qui exanthemata comitatur.

Tentabatur hic Viennæ, ut in aliis Europæ locis, ſummo cum ſucceſſu inoculatio. Inoculationis enim arcanum notante Tiſſot eſt, ut varioloſum virus indatur corpori omni rigiditate, laxitate, obſtructione, cacochymia, viru, omni demum labe vacuo, verbo corpori ſano, ſed non athletico.

CAPUT IX.

DE

MORBILLIS.

Omnis ætatis homines, crebrius vero teneræ, morbillis afficiuntur.

Sporadici ſunt & epidemici: benigni & maligni.

Antecedunt morbillos horror, inappetentia, tuſſicula, ſternutatio, anxietas, vomitus, oculi lacrymantes, ſudor, ſed non tam copioſus, ac in variolis.

In regularibus quarta die prodeunt, ut maculæ parvæ morſibus pulicum ſimiles. Primo frontem & faciem, dein pectus, ventrem, brachia, crura, ac femora occupant. Elevantur in facie, quod potius tactu, quam viſu diſtinguitur, coaleſcunt, & maculas variæ figuræ & molis formant. In reliquo corpore nonniſi aſperitas cutis deprehenditur.

In

In minus regularibus citius aut ſerius erumpunt, & nonnunquam primo in artubus & trunco apparent.

Minus colorati circa ſextum diem in facie fiunt morbilli, tum in reliquo corpore maxime rubent.

Primo diſparent in facie, dein per totum corpus: loca, quæ morbilli occupant, albicant, ac ſi farina conſperſa forent, rupta cuticula, quæ ſquammularum forma decidit; licet quandoque non in ſquammulas abeant morbilli, ſed inſenſibili modo bono ægrorum habitu evaneſcant.

Nonnunquam tempore epidemico febre morbilloſa aut varioloſa corripiuntur ægri, quin exanthemata ſequantur.

In benignis morbillis eruptione facta quandoque omnia mala ſymptomata ceſſant: nonnunquam vomitus non amplius ægros vexat; ſed tuſſis, dyſpnœa & inappetentia perſeverat.

In prognoſi variant, ideo Illuſtr. van Swieten monuit: quod non adeo magnum diſcrimen inferant morbilli, ſi exteriora ſaltem occupent, neque calido regimine tractentur; ubi vero delirium vel dyſpnœa

ſuſpicionem faciunt ad encephalon vel pulmonem ſimile malum hærere, anceps diſcrimen adeſſe.

Nonnunquam enim morbo jam finito tuſſis remanet & materia morbilloſa ſufficienter non evacuata ad pulmones fertur, tuſſim, inflammationem & phthiſim ſequentem producit.

Cura varia eſt ratione ſymptomatum, ægri, &c.

Benigniſſimi morbilli naturæ commiſſi ſanantur. Sufficiunt diluentia, hordeata, emulſiones.

In morbillis gravioribus ſymptomatibus ſtipatis ſemper ad vires vitæ attendendum, ut languentes excitentur & nimiæ minuantur.

Venæ ſectio inſtituenda ſive in principio, ſive in progreſſu, ſive in fine morbi, ubi plenitudo, durities pulſus, reſpiratio admodum impedita notantur.

Si ſigna latentis ſaburræ in ventriculo animadvertantur, vomitorium propinandum.

Anno 1772 morbilli & febres putridæ graviſſimæ epidemice graſſabantur. In multis, qui utroque morbo afficiebantur, vomito-

mitorium exhibendi & repetendi necessitas erat. Nullam inde noxam vidi, sed morbus uterque placide decurrebat.

Ob solum vomitum emeticum non est propinandum; quia vomitus spontaneus sine latente bile corrupta in ventriculo sola eruptione tollitur.

Si febris magna, neque diarrhœa ægrum vexet, mixtura ex salibus mediis & oxymelle prodest.

Acida ob tussim minus conveniunt.

In nimio calore sinapismi plantis pedum apponendi.

Remedium optimum est decoctum ex radice graminis, althææ oxymelle edulcoratum. Pro potu decoctum hordei cum oxymelle convenit.

In subjectis debilioribus, languentibus abstinendum a venæ sectionibus, clysmatibus & refrigerantibus. Hoffmannus ab intempestivo nitri usu tres puellos a Medico necatos refert. Respiratio enim difficilis a retardata macularum eruptione pendet, quæ tepidis, leniter diaphoreticis, ut infuso florum sambuci & calidiore regimine promovenda.

Pulſus parvus, debilis veſicantia poſcit; his non proficientibus ad levem camphoræ doſim confugiendum.

Symptoma maxime ægros torquens tuſſis eſt. Ad hanc compeſcendam pro varietate cauſæ varia indicantur remedia.

Si admodum ſicca ſit, inſpiratio vaporis aquæ calidæ ſæpe juvat.

Ægris quorum vires conſtant, neque peculiaris acrimonia ineſt, ſufficit decoctum ex reſolventibus & emollientibus paratum. (Nro. 41.) Iisdem ſyrupus althææ per parva cochlearia exhiberi poteſt.

Oleoſa vix arrident, cum in debili ventriculo facile ranceſcant.

Nonnunquam tuſſis a materia acri, ſeroſa ad pectus nimium affluente dependet. Similium ægrorum oculi plus lacrymantur, in eruptione vehementior ſternutatio notatur, ſerum acre ex naribus copioſius effluit & ſputa, ſi prodeant, tenuia & aquoſa deprehenduntur.

Demulcentia ex gummi arabico, (Nro. 42.) tragacanthi conveniunt. Prodeſt quoque decoctum ſalep & orchidis, maxime ſi alvus liquidior ſpectetur.

His

His non proficientibus opium per vices exhibendum, donec tussis minuatur.

Diacodium, quod a plurimis ut opiatum commendatur, vix sufficere videtur. Capita papaveris quidem (magis tamen immatura) narcotici quid possidere dubium non est; hinc forte quoddam ex solis iisdem capitibus bene saturatum decoctum vi sopiente pollere nemo inficias ibit, nostro attamen diacodio parum virtutis opiatæ inesse inde patet. Ingrediuntur enim decoctum pro nostro diacodio & siliquæ dulces & glycyrrhiza; imbutus igitur decocti latex horum corporum partibus solubilibus minorem copiam de papaveris capitibus assumere valet. Nam quo major est farrago rerum simul decoctarum, eo minus de singulis extrahitur. Præterea diacodium constat ex una tertia parte hujus decocti & duabus tertiis partibus sacchari; hinc non mirum, si unciæ uni syrupi aut nulla aut valde exigua vis narcotica insit. Ego ipse ante plures annos morbillis laborans quinque unciis syrupi diacodii intra paucum tempus assumptis nec somnum, nec minu-

tam tussim observavi. Convenit tamen optime syrupus diacodii demulcendi scopo.

Non raro diarrhœa symptomatica morbillis accedit, quod vires fractæ & pulsus debilis notat: hæc remediis in superioribus capitibus notatis brevi compescenda est.

Quandoque subito disparent morbilli, & anxietas, oppressio pectoris & cetera gravissima symptomata nascuntur. In simili casu ea conveniunt, quæ in miliaribus retrocedentibus laudabantur.

Ubi morbilli pallescunt & exsiccantur, purgantia antiphlogistica propinanda.

Si convalescentes aut frigidiori aëri se exponant, aut carnibus abutantur, febris & peripneumonia succedit, quæ venæ sectionibus, emollientibus, resolventibus, salibus mediis curari debet.

Maculis prorsus disparentibus quandoque tussis remanet & in habitum degenerat. Hæc primo opio compescenda, dein diversis remediis pro diversitate ægrorum tollenda.

Si ægri habitus repletioris sint, parvæ venæ sectiones sæpius repetitæ & purgantia lenia prosunt. Si stricti admodum tem-

pera-

peramenti, ſerum lactis convenit. Si exhauſti ſint, ut tabis futuræ metus oriatur, lac cum aquis ſelteranis & aër ruralis commendanda. Ubi ſputa purulenta, decoctum ex cortice peruviano & lichene islandico lacte miſtum pulchros ſæpe effectus præſtat.

Nonnunquam œdematoſus tumor morbillis ſuccedit, qui lenibus purgantibus, cortice peruviano, frictionibus & motu corporis curandus.

Quæ in prioribus capitibus de diæta dicta fuerunt & hic locum habent.

Atmosphæra, in qua morbilloſi decumbunt, temperata ſit; frigidior enim minus convenit, & calidior æque, ac in aliis morbis exanthematicis nocua deprehenditur.

Cavendum, ne ægri luci exponantur & oculi inde damnum patiantur. His aqua roſarum cum lacte tepido nonnunquam inſtillanda, ne a ſero acri inflammentur.

Quandoque oculi & poſt morbillos inflammati ſunt. Cucurbitæ, pediluvia & veſicantia ad nucham in uſum vocanda.

Reconvaleſcentes a morbillis aërem frigidum evitare debent.

CAPUT X.

DE

ERYSIPELATE.

Erysipelas est macula læte rubra, superficialis, cutim tendens, digito prementi cedens & eo amoto iterum rediens, omnem corporis partem, crebrius faciem occupans, non raro palpebras ita afficiens, ut ægri eas deducere nequeant.

Sedes erysipelatis in reticulo Malpighii locatur, ex hac ratione superficialis est facile locum mutat, in resolutione dilatatur & rubor hinc inde dividitur.

In vehementiore erysipelate parvæ vesiculæ conspiciuntur, iis similes, quæ a combustione fiunt.

Ex pustulis faciei ruptis humor viscosus effluit, crustam formans per plures dies manentem.

Quandoque tumores nascuntur magni, ichore, aut sero acri turgentes, quibus non

cre-

crepantibus partes ſubjectæ exulcerantur & roduntur: hinc eryſipelas in ulceratum & non ulceratum dividitur.

Notatur & frequens eryſipelas habituale.

Nonnunquam ſat levia ſymptomata hoc exanthema comitantur. Nonnunquam ingens dolor capitis, horror, calor & ſitis morbum præcedit, qui per duos, aut tres dies increſcit; per unum aut alterum in maximo incremento hæret; dein minuitur & cutis deſquammatione terminatur. Sed & eryſipelas per decem, duodecim dies excurrit, ſudore judicandum.

Cauſa eryſipelatis videtur eſſe humor acer, bilioſus, per ſanguinem diſperſus. Hinc aër humidus, pluvioſus, affectus animi violenti eryſipelatis generationi favent.

Prognoſis diverſa eſt. Eryſipelas partium externarum raro diſcrimen habet, niſi retropellatur; ſi vero locum mutet & partes internas petat, phrenitis, lethargus, angina lethalis, &c. facile ſequi poſſunt.

In ſenibus vehementius eryſipelas timendum, malum eſt in vulneribus cranii & peſſimum in aſciticis.

Ery-

Eryſipelas hydropi accedens malum; eryſipelas mammarum externis irritantibus & inſpiſſantibus tractatum non raro in ſuppurationem aut ſcirrhum abit.

Si eryſipelati nigredo quædam, aut puſtulæ, aut mentis alienatio ſuperveniat, teſte Sorbait vix ſpei relinquitur locus.

Dum in eryſipelate faciei ad ſenſum leviori magna inquietudo, deliria accedunt cum pulſu inæquali, ut plurimum morbus lethalis eſt, notat enim eryſipelas magis in internis & nobilioribus partibus hærere.

Cura varia eſt. Si febris magna, pulſus plenus, durus, venæ ſectio inſtituenda & quandoque repetenda eſt. Sanguis eductus pleuriticorum ſimilis cruſta tectus ſæpius conſpicitur.

Signa latentis in ventriculo ſaburræ occurrentia emeticum poſcunt.

Cavendum a vomitorio, ubi a retrocedente eryſipelate nauſea & vomitus oriuntur, quæ non ſaburræ, ſed materiæ exanthematicæ ventriculum petenti originem debent.

Si calor, ſitis ægrum vexent, medicamenta antiphlogiſtica, ex aceto, nitro,

ſale

ſale polychreſto, ſtibio diaphoretico abluto, roob ſambuci, tamarindis ſumenda, ut alvus aliquoties moveatur.

Crebriores purgationes præcipue in debilioribus, quorum pulſus parvus & celer eſt, morbum graviorem & longiorem reddunt.

De ſtibio diaphoretico non abluto diverſa eſt Medicorum mens. Hic ſpernit, ut calcem inertem, fiſtularum tabacariarum terræ ſimilem; alter ut medicamentum infidum damnat. Boerhaave calcem dicit inertem, nocuam: ſi iners, an nocua? ſi purgantia, ut Boerhaave ſentit, admiſſa hac calce ſtimulum acquirunt, an tunc iners? Spielmann Boerhaavium a Vigano in hunc errorem ſeductum carpit, nec injuſte ut opinor. Clariſſ. Trillerus (a) non ſpernit ſtibium diaphoreticum ablutum ut inertem calcem, ſed quia cum tempore aculeos ſuos recuperare timet. An Wittenbergæ ſingulis decem, aut viginti annis paretur, ignoro. In noſtris officinis omni anno

(a) Diſpenſat. Pharmac. univerſ. Tom. II. pag. 14.

anno ſemel ad minimum confici debet, hinc tuto remedium hoc præſcribi poteſt: & ideo ſtibio diaphoretico non abluto præferendum videtur; hoc enim meo judicio ob incertam ſalium præſentium naturam & quantitatem incertum, inconſtans & impurum eſt remedium: & mirandum, cur Medici ſemper varianti mixtioni ſalium fidant, quorum nec certam quantitatem, nec naturam noſcunt. Hi ſales jam magis alcaleſcunt, prout ſtibium plus, minus calcinatur: cum acidis vegetabilibus miſti odorem ingratiſſimum, ſulphur volatile, aut aquam fortem redolentem eructant. Eandem ob rationem mixturæ (Nro. 8.) roob ſambuci additi eam effervescere & nauſeoſam faciunt.

Pro potu diluentia, acidiuſcula, ut decoctum hordei cum oxymelle, decoctum acetoſæ, limonada largiter haurienda.

Cavendum, ne ſimiles ægri ſudoriferis, aut calido regimine vexentur.

Si morbus a tranſpiratione ſuppreſſa generetur, moderatus lecti calor & [illegible]-media commendanda, quæ tranſpir[illegible]

nem promovent, ut decoctum ex radice graminis, fœniculi, florum ſambuci addito ſtibio diaphoretico & ſyrupo quinque radicum.

Prodeſt & infuſum florum ſambuci theati inſtar hauſtum: omnia enim ex ſambuco parata maximæ in hoc morbo ſunt efficaciæ.

Abſtinendum a validis ſudoriferis & calefacientibus.

Si eryſipelas locum mutet & partem nobiliorem petat, revellentia indicantur, vires vitæ exorbitantes venæ ſectione, palneis pedum & remediis antiphlogiſticis compeſcendæ, vires languentes veſicantibus & moderata camphoræ doſi erigendæ ſunt.

Eryſipelati epidemice ſævienti cum pulſu debili, vomitu, ingenti capitis dolore, totius faciei tumore, cruſta in ſanatis, ut in variolis remanente, antiphlogiſtica methodus lethalis, ſed alexipharmaca, cortex & veſicantia profuere.

Eryſipelas habituale varia poſcit remedia. Si ab humoribus biliosis malum oriatur, ut plurimum levis obſtructio hepatis notatur, quæ flaveſcente oculorum colore,

lin-

lingua ſordida noſcitur; ſimilibus ægris fructus horæi, ſerum lactis, ſucci ex taraxaco & acetoſa proſunt, interpoſitis nonnunquam purgantibus ex roob ſambuci, tamarindis, cremore tartari, & ſalibus mediis.

Vitanda omnia calefacientia & ſpirituoſa.

Nonnulla ſubjecta adeo ſenſibilia ſunt, ut ab aëris mutationibus creberrime eryſipelate corripiantur.

His in paroxyſmo, ut monui, lenia diaphoretica conveniunt; extra paroxyſmum corpus frictionibus, motu, cortice peruviano & martialibus roborandum. Caveant ſimiles ægri ab aëre frigido, humido, per oppoſitas, aut anguſtas rimas intrante & a purgantibus; cum ab his tranſpiratio ſupprimatur.

Pro varietate eryſipelatis varia remedia externe applicanda. In leviori malo ſacculi ſicci ex floribus ſambuci, chamomillæ & pauca farina fabarum toſta ſufficiunt.

Parte affecta multum ſplendente fomenta emollientia & leniter diluentia, ut flores ſambuci lacti incocti proſunt. Noce-

cerent ſicca & terrea, quia partes indurantur & tranſpiratio materiæ morbificæ impeditur.

Parvæ veſiculæ humidum exſudant, quod ulcera generat, niſi abſorbeatur. Hinc in ſimili caſu terrea, ut pulvis ad eryſipelas albus, vel ruber Diſpenſatorii Viennenſis externe applicanda ſuadentur. Veſiculæ, aut tumores ſero acri turgentes aperiendi & leviter exprimendi ſunt, ne partes ſubjectæ rodantur.

Vitanda omnia reſinoſa, oleoſa, pinguia, quia ab his eryſipelas retrocedens & gangræna ſequens non raro obſervata fuit.

A quibusdam in eryſipelate externe ſaturnina commendantur, ſed ſæpe peſſimo cum ſucceſſu corpori humano externe ſimilia applicantur, prout uberius expertiſſimus Brambilla Auguſti Imperatoris chirurgus notavit (a).

Suppuratio ex eryſipelate ut plurimum lente procedit, minus laudabile pus exhibet, & facile in ulcera chronica vix ſananda abit.

Non

(a) Riflesioni Fisico - medico - chirurgiche. pag. 24.

Non autem ſemper mala eſt ab eryſipelate orta ſuppuratio, Clar. Strack (b) eryſipelas ſingulare epidemicum obſervavit, quod, niſi ſuppuraverit, mortem attulit omniaque remedia, quæ ad exteriora illud evocarunt, ſalutaria, quæ autem ſolutionem præſtiterunt, nociva fuerunt.

Si pars liveſcat & gangrænæ futuræ metus ſit; interne cortex peruvianus, externe antiſeptica ex ruta, ſcordio, cortice peruviano cum vino & aqua parata in auxilium vocanda.

Si in faciei eryſipelate cutis in magnas, irregulares veſicas elevetur, vel pars parum liveſcere incipiat, mox cortex dandus & huic, ſi pulſus parvus, inæqualis, camphora jungenda eſt.



CAPUT

(a) Act. Mogunt. Tom. I. pag. 321.

CAPUT XI.

DE

SCARLATINA.

Scarlatina exeunte æſtate frequentior & junioribus familiarior eſt.

Præcedunt eam virium proſtratio ſubſequente horripilatione, anxietate, calore, febre. Tertia aut quarta die maculæ prodeunt rubræ, crebriores, latiores & multo magis rubentes ac illæ, quæ morbillos conſtituunt. Primo faciem, collum, pectus; dein dorſum, abdomen, artus occupant. Rubent partes affectæ, ac ſi vino rubro tinctæ forent. Permanent maculæ per aliquot dies: febris & rubedo octava aut nona die ut plurimum integre diſparent. Maculis evaneſcentibus cuticula deſquammatur. Nonnunquam ſecunda aut tertia vice redeunt.

Dividitur ſcarlatina in ſporadicam & epidemicam, quæ maxime circa æquinoctium vernale graſſatur & contagio contrahitur.

Diſtinguitur quoque in benignam & malignam, quam vomitus, anxietas, oppreſſio ad præcordia, ingens dolor capitis ſopor comitantur: fauces interne rubent; inde reſpiratio celerior, laborioſior, deglutitio difficilis & neglecto morbo ſuffocatio.

In ſcarlatina ſexta aut ſeptima ab eruptione die in pedibus & manibus puſtulæ naſcuntur ſimiles miliaribus, ſed non niſi aërem continentes, a ſeparatione & elevatione epidermidis dependentes, a quibus mole auctis decorticatio ſequitur.

Uberius ſcarlatinam deſcribit Clar. Plencicz & Roſenſtein.

Prognoſis variat: benigna vix remediis eget; verum moderato calore, diluentibus, theatis & poſt deſquammationem leni cathartico facile curatur.

Abſtinendum a remediis ſudoriferis, vel nimiis ſtragulis, quia & inde benignus

morbus

morbus in periculoſum & lethalem facile vertitur.

Si major calor, acetum, ſuccus citri, decoctum hordei, oxymel, &c. conveniunt, quibus, præcipue ſi alvus ſileat, ſal polychreſtum, mirabile Glauberi & nitrum addendum. Urgente neceſſitate ſinapiſmi plantis pedum apponendi.

Scarlatina maligna majus minusve portendit periculum pro gravitate ſymptomatum. Hinc pulſus parvus & celer, reſpiratio & deglutitio difficillima, ſumma virium proſtratio, &c. infauſtam formant prognoſim.

Remedia exhibenda, quæ a ſuperioribus derivant, vires erigunt, putredini reſiſtunt & ſymptomata minuunt.

Potentiſſimum medicamentum eſt cortex peruvianus varia forma propinandus.

Non raro ægri, præcipue infantes corticem reſpuunt, iis per enemata injiciendus.

Calore & ſiti admodum urgente acida mineralia ad gratam aciditatem cortici addi poſſunt.

Pulſus parvus, celer, deliria, tremores veſicantia, camphoram, ſpiritum cor-

nu cervi, moſchum petunt, prout in ſuperioribus capitibus de febre putrida, maligna notatum fuit.

Ubi deglutitio difficilis ob affectas fauces; injectiones ex aceto, aqua, melle injiciendæ, cataplasmata (Nro 43.) cum lacte collo applicanda ſunt; urgentiori malo veſicantia & collo & nuchæ apponenda.

Non raro bene interim valentes ægri poſt duas aut tres ſeptimanas fugata jam ſcarlatina viribus labuntur, & primo facies, dein totum corpus leucophlegmatico tumore turget, urinæ ſecernuntur paucæ loturæ carnium ſimiles, nonnunquam ſanguineæ.

Magis hæc accidunt hyeme quam æſtate; infantibus quam adultioribus; maxime iis, qui citius libero exponebantur aëri. Si tumor leucophlegmaticus aptis non cedat remediis, ſerum ad nobiliores fertur partes & ægri comatoſi, convulſi, apoplectici, aut ſuffocati pereunt.

Majus quoque periculum eſt, ſi febris leucophlegmatiæ juncta ſit.

Frictiones tranſpiratio in lecto, decoctum juniperi (Nro. 44.) addito oxymelle ſcillitico & rhabarbarina (Nro. 45.) proſunt.

prosunt. His non juvantibus ea propinanda, quæ in capite de hydrope dicentur.

Pauca & hoc loco de febre urticali referam.

In hac pustulæ notantur pallido rubræ instar illarum, quæ a percussione cum urticis conspiciuntur. Pruritum, febrem remittentem quasi catarrhalem comitem habent.

Tertia, quarta die prodeunt; aliæ iterum subsequuntur cum desquammatione cutis.

Facillime transpiratione, diluentibus curantur. Nonnunquam tamen epidemice grassantur, pulmones afficiunt & decoctum ex radice graminis, althææ, infusum florum sambuci, vesicantia, &c. petunt, prout ex capitibus præmissis facile patet.

CAPUT XII.

DE

FEBRIBUS INTERMITTENTIBUS.

Tria febrium intermittentium ſtadia ſunt, frigoris, caloris & ſudoris.

Communiter incipiunt latiſſitudine, pandiculatione, horripalitione, nauſea, vomitu, dolore capitis, &c. Pulſus, qui debilis & parvus tempore frigoris fuerat, ſubſequente calore in pleniorem & fortiorem mutatur: augetur ſitis: urina magis tingitur: demum ſudore febris terminatur, evaneſcunt ſymptomata remanente ut plurimum debilitate.

Febres intermittentes aliæ ſunt vernales, autumnales aliæ. Priores a Februario in Auguſtum, ultimæ ab Auguſto in Februarium dominantur. Sed & autumnales

quan-

quandoque jam Junio menſe occurrunt; nonnunquam vero circa Septembris finem aggrediuntur.

Diſtinguuntur & intermittentes apyrexia, ſeu tempore a paroxyſmo libero, in quotidianam, tertianam, quartanam. Sunt quoque tertianæ & quartanæ duplicatæ & triplicatæ.

Quotidiana magis pueros & debiles vexat, crebrius tempore verno ſpectatur, pertinax eſt: primæ acceſſiones ut plurimum horis matutinis revertunt: rarior eſt quotidiana, ſed tertiana duplex frequentius pro ea habetur. Riverius ex ſexcentis ægris acceſſiones quotidie habentibus vix unum quotidiana laborare obſervavit. Differt quotidiana a tertiana duplici: quod hujus acceſſus alternis diebus, non vero ſingulis ſibi mutuo reſpondeant. Hinc ſemper attendendum ad tempus invaſionis, quia hoc intermittentes diſtinquit.

Tertiana ſubjecta juvenilia, temperamenti bilioſi, corpora exercitata plus infeſtat: frigus intenſum, ſtrepitum dentium, calorem acrem & mordacem, majorem cephalalgiam ſitimque comitem habet.

Quartanæ typus omnium intermittentium eſt maxime regularis: communiter pomeridie aggreditur: frigus eſt mitius, ſed diuturnius; ac in tertiana: calor ut plurimum quinque aut ſex horarum.

Præter febres intermittentes regulares occurrunt erraticæ, ſeu typum obſcurum habentes, aut nullum ordinem ſequentes.

Sunt & variæ febres larvatæ, pleuritidem, choleram, apoplexiam mentientes. Ut plurimum diæta mala prægreſſa eſt, de appetitu proſtrato conqueruntur ægri, urinam jumentoſam mingunt & eodem tempore multi aut febribus remittentibus, aut intermittentibus decumbunt. Sed quandoque vix noſcendæ ſunt, niſi quod ſymptomata certo iterum tempore redeant vehementer, quæ aut admodum mitia fuerunt, aut plane ceſſarunt. Similium febrium hiſtoriam deſcripſit egregius Lauter Phyſicus Laxenburgenſis.

Cauſa proxima febris vix determinari poteſt. Bene monet Baglivius (in Paræneſi ad Medicos de inſtituenda medendi methodo popularibus accommodata) quod febris, ſi phœnomena ſpectemus, reliquis

mor-

morbis ſit notior, ſi conſtitutionem & cauſam, omnium ignotiſſimus.

Probabilis eſt ſententia Illuſtr. van Swieten: eam in nervis & liquido nerveo hærere.

Cauſæ remotæ & prædiſponentes variæ ſunt.

Autumnales ſæpius bili putridæ in primis viis hærenti originem debent: nonnunquam gluten viſcera obſidens febrem producit: non raro aër paludoſus, animi pathemata, &c. febrim cauſant. Quartana frequentius a victu crudo, duriore, vita ſedentaria, frigore autumnali inſueto, a ſcabie retropulſa oritur.

Prognoſis variat ratione febris, temporis anni, conſtitutionis epidemicæ, ætatis & ſubjecti.

Vernales mites ſæpe poſt ſeptimum paroxyſmum ſponte ceſſant.

Autumnales nonnunquam remediis pertinaciſſime reſiſtunt; frequentes habent recidivas, donec ſuperveniente vere ſine remedio ſolvantur. Hinc Celſus ait: quartana æſtiva brevis, autumnalis fere longa

eſt,

eſt, maxime quæ cœpit hyeme appropinquante.

Febres tempore humido & pluvioſo difficilius curantur, quam ſicco.

Quandoque intermittentes epidemicæ obſervantur, quæ poſt unum aut alterum paroxyſmum jam interimunt.

Exhauſtis, cacochymicis, gravidis, vel & illis, qui diuturno alio morbo laborarunt, febris ſat mitis lethalis fieri valet.

Senes non raro pereunt in frigore quartanæ: ubi econtra Sydenhamus cum ſtupore vidit infantes tenellos in cunis per plures menſes quartana laboraſſe, nec inde oppreſſos fuiſſe.

Inter intermittentes quartanæ ſunt pertinaciſſimæ, hæ autumno magnis viſcerum obſtructionibus ſtipatæ vix ſanantur, ſed perſeverant ad veris acceſſum usque.

Antequam de cura intermittentium agam, notandum iterum occurrit Sydenhami effatum: febrim inſtrumentum naturæ eſſe, quo impura a puris ſeparat & extra corpus excernit, hinc quandoque longius ferenda eſt, cum febre pertinaciſſimæ obſtructiones & diſpoſitiones ad morbos chro-

ni-

nicos optime tollantur, dum ſolventiſſima remedia ad extrema vaſa febrili motu ducuntur. Multi Galeno teſte ab epilepſia liberati fuerunt; alii a lepra, varicibus, tumoribus lienis aliorumque viſcerum per quartanam vindicabantur. Boërhaavius notat: homines longævos in flore ætatis quartana omnium intermittentium maxime diuturna laboraſſe.

Cura alia eſt in paroxyſmo, alia extra paroxyſmum,

In paroxyſmo diluentia conveniunt, ut materies febrilis per varias vias: nempe alvum, urinam, ſudorem, vomitum evacuari poſſit.

In frigore febrili tepida ad tranſpirationem promovendam haurienda ſunt, ut infuſum florum ſambuci, decoctum quinque radicum aperientium.

Cavendum ab aromaticis, validius ſtimulantibus, cum inchoato frigore febrili major adſit calor, quam in eodem corpore ſano. Van Swieten juvenem vidit tertiana verna laborantem, qui lethali pleuritide corripiebatur, dum quinque guttæ olei caryophyllorum cum ſaccharo diu

tritæ

tritæ darentur ante paroxyſmum ingruentem, ut frigus febrile calido hoc remedio tolleretur.

In calore febrili diluentia acidiuſcula propinanda, ut decoctum hordei cum oxymelle, limonada; æſtuante admodum ægro acida mineralia diluta & grata & utiliſſima ſunt.

Potulenta crebrius, ſed parca quantitate ingerere oportet: ne aut vomitus, aut anxietas a diſtento nimium ventriculo oriatur.

Debiliori ægro vinoſa paroxyſmo finito concedi poſſunt.

Lintea & induſia poſt ſudorem mutanda, ne ab his humidis corpori applicatis horror iterum naſcatur, aut excreta materia per vaſa reſorbentia denuo in ſanguinem feratur.

Vomitus ſpontaneus paroxyſmi tempore aquæ tepidæ hauſtu promovendus.

Cura extra paroxyſmum differt ratione ætatis, temperamenti, cauſæ, ſymptomatum, conſtitutionis epidemicæ.

Febris cauſa cognita talia remedia danda, quæ eam corrigunt & deſtruunt

Ama-

Amarities oris, nauſea, &c. niſi contra indicans adſit, vomitorium requirunt tempore apyrexiæ exhibendum.

Illuſtr. van Swieten (a) de febribus intermittentibus monet: bilem putridam, quæ in ventriculo & inteſtinis continetur, ſubito evacuandam eſſe, ne mora magis nociva fiat. Imo notat: quod ſæpius vomitorium maxime in autumnalibus repetendum ſit.

Cum ſucceſſu aliquot drachmæ ſalium mediorum emetico præmittuntur; ſic glutinoſum inciditur & ad faciliorem evacuationem diſponitur.

Proſunt emetica in intermittentibus non ſolum ejiciendo nociva in ventriculo contenta, ſed etiam ſtimulando & turbando materiem febrilem. Concutiuntur vomitu viſcera abdominalia, inde his impacta facilius ſolvuntur & excutiuntur.

Ad emeſim procurandam arridet ſolutio trium, aut quatuor granorum tartari emetici in libra aquæ per vices ſumenda, donec ſufficiens vomitus ſequatur.

Si

(a) Tom. II. pag. 54.

Si vomitorium contra indicatur, vel ſigna abſint latitantis ſaburræ in ventriculo, appetitus tamen proſtratus, abdomen tenſum, vita lauta prægreſſa & alvus ſegnior obſerventur; purgantia ſubſtituere oportet.

Si major calor, ſitis intenſior, urina flava obſerventur, tamarindi, cremor tartari, aqua laxativa indicantur. Ceterum ſal amarum, thermarum carolinarum, mirabilis Glauberi, pulvis cornachini convenit.

Clariſſimus Trillerus (a) peſſima mala a pulvere Cornachini exhibito recenſet, quæ malignæ & nocivæ indoli antimonii diaphoretici dudum jam præparati adſcribit.

Revocari huc poſſunt ea, quæ de antimonio diaphoretico non abluto in capite de eryſipelate monui. Præterea certum fere eſt, ad vim purgantem ſcamonii augendam ſtibium diaphoreticum ablutum & cremorem tartari valde parum facere. Ratio horum pulverum ſcamonio admiſtorum in eo ſolum conſiſtere videtur: ne ſcilicet partes

(a) Diſpenſ. pharmac. univerſal. pag. 529.

partes ſcamonii ſibi cohærere indeque tormina cauſare valeant. Hinc alii cremoris tartari & ſtibii loco pulverem cornu cervi in eundem finem ſcamonio admiſcent. Ceterum nil mali video in miſtione priori propter ſtibium, cum præſertim hic pulvis, omni momento commiſcendus, nunquam in majori paretur copia.

Nauſeoſis gratius & efficax eſt purgans, ſi octo, aut decem drachmæ ſalis Seignetti in binis libris juris carnium non ſaliti ſolvantur & per cyathos ſumantur, donec æger purgetur.

Autumnales febres magis purgantia petunt, quam vernales.

Cavendum a nimiis evacuationibus, præcipue in vernalibus; quia inde febres protrahuntur, hydropsque naſcitur.

Vernales febres in juvenibus & ſanguineis non raro mutantur in inflammatorias; hinc pulſu pleniore, duriore, reſpiratione difficiliori, maxime ſi abuſus ſpirituoſorum febrim præceſſit, aut conſuetæ ſanguinis evacuationes intermiſſæ fuerunt, vena ſecanda eſt. Sed & in autumnalibus ſan-

guinis detractio necessaria, ubi mox dicta symptomata spectantur.

Evacuatis primis viis, si major calor, sitis vehementior, urina plus colorata; remedia antiphlogistica, ut succus citri, acetum cum sale polychresto, nitro indicantur.

Non raro, præcipue in autumno, initium intermittentium similia symptomata habet, ac febris putrida; in his acida mineralia salibus mediis juncta prosunt.

Levis quandoque hepatitidis species, post fervidiores æstates, febres autumnales comitatur; quod urina ex flavo rubra, flavescens oculorum color, sitis intensior, hypochondria tensa, maxime in regione dextra cum dolore fixo ejusdem lateris & alvus parcior docent; in hoc casu decocta solventia cum acidis & purgantibus antiphlogisticis imperanda. Hinc variæ formulæ ex taraxaco, radice graminis, cichorei, tamarindis, succo citri, aceto, crystallis tartari, sale mirabili Glauberi, &c. formari possunt (Nro. 46.). Pro potu decoctum hordei cum oxymelle, aut serum lactis convenit.

Clysmata

Clyſmata ex emollientibus cum melle quoque injicienda.

Similis methodus & locum habet abſentibus ſignis levioris inflammationis, ubi urina flava & ſubflaveſcens oculorum color cacochymiam bilioſam & hepatis infarctum notant.

Sollicite enim inquirendum in intermittentibus maxime quartanis, an non adſint viſcerum obſtructiones: cum his præſentibus remedia ſolventia tamdiu continuare oporteat, donec hypochondria mollia & melior faciei color ſuccedant.

Succus ex radice graminis & taraxaco recenti addito ſale polychreſto, aut terra foliata tartari efficaciſſimus eſt. Nam ſalia media & obſtructiones ſolvunt & primas vias a glutine liberant, quo fere ſemper obducuntur.

Pauciſſimos vidi, quorum ventriculus a ſalibus mediis offendebatur. Imo innumeros ſolis hiſce remediis a febre intermittente absque recidiva liberavi.

Solventia remedia, tempore apyrexiæ ſumpta, febrili motu magis in vaſa obſtructa agunt & impactum ſolvunt. Debilibus

vero minus conveniunt, quia vires inde minuuntur & ſudores nocivi augentur.

In indurationibus viſcerum abdominalium & inunctiones ex unguento althææ ſuadendæ, maxime, dum infarctum colon tumens circa lienis regionem, ubi inflectitur, eum ſcirrhoſum mentitur.

Notabili tactui reſiſtenti viſceris duritiei utiliter emplaſtrum cicutæ apponitur.

Cavendum in magnis obſtructionibus & indurationibus viſcerum a fortibus purgantibus, his enim corpus debilitatur, ſubtiliſſimis humoribus privatur & jam impactum fere irreſolubile redditur.

Nonnunquam pituita tenax primas vias occupat: docet id pallidus corporis habitus, urina pallida, vita ſedentaria prægreſſa, victus ex alimentis crudioribus; habitatio in loco depreſſo & humidiore; ægri ſimiles farinoſa non ferunt, ab aromatibus levantur, gravitatem, frigus circa ventriculum & oppletionem ex aſſumptis majorem, quam in ſanitate ſentiunt. His extracta amaricantia cum gummi ferulaceis (Nro. 47.) apyrexiæ tempore conveniunt.

In-

Intermittentes, dictis remediis non cedentes, fugandæ sunt; cum febre diu protracta corpus debilitetur, humores acriores reddantur & iidem morbi ac a nimis cito sublata, nempe icterus, cachexia, hydrops sequantur.

Nullum remedium febrem citius & certius fugat cortice peruviano.

Observavit jam olim Cæsareus Archiater Longobardi, quod cortex gravidis, menstruantibus, hæmorrhoidariis tuto exhiberi possit, nec urinam, sudores, aut fluxus salutiferos tollat (a).

Cortex in pulvere, mixtura, (Nro. 48.) bolis (Nro. 49.) pro vario ægri lubitu præscribi potest.

Ad intermittentes fugandas longe efficaciorem corticem peruvianum reperii ac extractum vel decoctum. Mortonus experientia fretus affirmavit chinam chinam in substantia exhibitam certius vires suas exserere, quam si multa arte, aut igne torqueatur.

(a) Michaeli Della Febbre. pag. 305.

Si ægri non respuant, optime mixturæ forma propinatur. A cortice enim vel in pulvere, vel in bolo non raro pondus vel oppressio in ventriculo percipitur. Forte quod notante Percival diu cortex in primis viis indissolubilis hæreat.

Cortici peruviano salia media jungo, nisi alvus liquida sit; cum a substantia corticis non raro pondus ad regionem ventriculi & alvus adeo adstricta sequantur, ut ægri vix scybala excernere valeant. Eam ob rationem Celeberr. Gaubius in pulvere antifebrili unciæ corticis binas salis polychresti drachmas addidisse videtur.

Varia dosis corticis est. In quotidiana sex drachmæ, in tertiana uncia, in quartana uncia una semis tempore apyrexiæ exhibenda.

In febre, cujus paroxysmi adeo protracti, ut apyrexia brevissima & continuæ futuræ metus sit, ad finem paroxysmi, ubi maximus calor transiit, cortex sumendus.

Febre per dictam corticis peruviani quantitatem fugata ægro per binas apyrexias sequentes dimidia ejusdem remedii dosis exhibenda est ad recidivam præcavendam;

ma-

maxime tempore humido & frigido, in ſubjectis ſenilibus, conſtitutionibus epidemicis.

Monet Illuſtr. van Swieten, ut æger qui quartana laboravit, jam per octo dies a morbo liber, corticem denuo ſumat & dein tertia vice, ubi febrim non habuit, cortice utatur, cum character intermittentium, quo diutius inhæſerit, eo difficilius deleatur (a). Et Sydenhamus & Mortonus jam curata tertiana chinam chinam continuendam voluerunt.

Solet in tertianis recidiva fieri aliquo ſecundæ hebdomadis die, in quotidianis & quartanis autem tertia hebdomade (b). Unde liquet, ad reverſiones tutiſſime & certiſſime præcavendas corticem ſecunda, aut tertia quavis hebdomade exhibendum eſſe. In febribus obſtinacioribus quandoque ſecunda, tertia, quarta repetitio facienda.

Febris intermittens ſive ſponte ſua, ſive regimine calido ad continuitatem ac-

(a) Tom. II. pag. 539.
(b) Werlhoff.

cedens, majorem corticis peruviani copiam requirit. Sic anno 1770, ubi talis epidemia regnabat, omnes fere recidivam passi sunt, nisi largissima corticis peruviani quantitate uterentur.

Clariss. Archiater Petersen in febribus epidemicis corticem in substantia ad libram unam mediam, in decocto ad libras duas semis exhibuit. Nullum enim incommodum oritur, si plus quam opus assumatur, peccatur vero, si justo minus, cum eo reversionibus occasio relinquatur (a).

Pessima mala ex intempestivo laudati remedii usu fiunt.

Quandoque vernales intermittentes grassantur, venæ sectione & antiphlogisticis, ut superius monui, curandæ. Si in his cortex exhibeatur, antequam crusta inflammatoria sit resoluta, in continuas mutantur, vel recidivæ malis symptomatibus stipatæ sequuntur, observante Pringle (b).

Nos-

(a) Torti, Werlhoff.

(b) Observations on the diseases of the Army. p. 145

Noſcuntur hæ febres pulſu duriore, dolore capitis vehementiore, reſpiratione crebriore & difficiliore, ſitis eſt intenſior, lingua minus ſordida, facies & urina plus rubent, ſanguis eductus non raro cruſta tectus conſpicitur.

Si inter corticis uſum febre intermittente laborantes in albo oculorum flaveſcant, de anxietatibus & oppreſſionibus ad ſcrobiculum cordis conquerantur; ſolventibus pergendum, a cortice abſtinendum, niſi ſumma ægri debilitas eum poſtulet; alias ſcirrhi viſcerum, icterus, hydrops ſequuntur.

Ubi vero in intervallis febris ictericus color evaneſcit, nulla anxietas, oppreſſio ad ſcrobiculum cordis, nullus abdominis tumor, aut durities perſiſtat a ſolo cortice auxilium expectandum, ut icterus vere ſpaſticus æque ac ipſa febris, cujus comes eſt, tollatur (a).

Sunt nonnullæ febres magno calore, aut ſiti ſtipatæ cum levibus deliriis, pulſu

(a) Rahn, Adverſar. medic. practic. Vol. I. pag. 182

celerrimo, poſt tertium aut quartum paroxyſmum in continam abeuntes. Hæ brevi cortice fugandæ.

Subito quoque hic dandus eſt in febribus, ubi pulſus parvus, irregularis, ſomnolentia, vires admodum proſtratæ notantur, maxime ſi epidemice graſſantur. Zimmerman (b) tertianam obſervavit in loco ad paludem ſito graſſantem, quæ ſecundo paroxyſmo magna oppreſſione pectoris & dolore capitis necabat.

Convenit brevi cortex in quartanis hæmorrhagia ſtipatis, ubi pulſus eſt debilis, nullus faciei rubor, &c. Imo quandoque lenia martialia admiſcenda ſunt, ut aucto robore hæmorrhagiæ ſiſtantur, quibus facile hydrops ſuccedit.

Anno 1770 tertianæ occurrebant cum amaritie oris, ſiti intenſa, calore ſummo, levibusque in paroxyſmo deliriis. Hæ febres, purgatis etiamſi primis viis, cortice dato, oppreſſiones ad ſcrobiculum cordis, anxietates, languores cauſabant; neglecto cor-

(a) Von der Erfahrung. I. Thl. S. 204.

cortice brevi in continuas peſſimas abierunt.

Optime profuit ſequens methodus. Bile corrupta per emeticum aut purgans e corpore eliminata, mixturam ex aceto, ſucco citri cum ſalibus mediis exhibui; poſt tertium paroxyſmum binas aut tres extracti corticis peruviani drachmas priori mixturæ addidi. Pauca hac corticis peruviani quantitate febris moderabatur, neque in continuam abibat & a ſalibus mediis alvus fœtida crebrior educebatur. Lingua non ſordida, urina minus colorata, nauſea fugata, ſalium quantitas minuebatur & febris primum extracto, dein cortice in ſubſtantia exhibito penitus fugabatur.

In initio enim intermittentium magno calore ſtipatarum & de genio bilioſo participantium extractum corticis magis convenit ob rationes in capite de ſynocho non putrida notatas.

Ante aliquot annos frequentes erant febres magna virium proſtratione, pulſu celeri, parvo, horrore cum ſubſequente leni calore, lingua alba, appetitu exiguo, ſiti majore, ſed non exorbitante, reniten-

tia

tia in hypochondrio dextro, ſopore, triſtitia ſtipatæ; acceſſus incerto tempore, quandoque bis de die redibant; urinas in poroxyſmo mingebant ægri aquoſas, copioſiſſimas; poſt febrilem inſultum lotium erat paucum, brunum cum nubecula ſuſpenſa, alvus a medicamentis ſalinis peſſime olens facile movebatur. Dato decocto ex radice graminis, taraxaco cum liquore terræ foliatæ tartari morbus non mutabatur, ſed brevi ad corticem cum remediis nervinis, ut ſpiritu Mindereri, meliſſa, quandoque camphora confugiendum erat; ſub horum uſu paroxyſmi fiebant regulares, mitiores; cortice neglecto morbus naſcebatur periculo pleniſſimus. Diuturnæ hæ febres mitiores redditæ ſolo cortice non ſuperabantur, ſed amaricantibus ſat facile tollebantur.

Nonnunquam variam larvam febres intermittentes induunt & pleuritidem, choleram, apoplexiam mentiuntur. In ſimili caſu, etiamſi febris non videatur adeſſe, neque urinæ lateritiæ ſint, ſymptomata tamen gravia, quæ curata videbantur, iterum

rede-

redeant: cortice peruviano ſubito debellanda ſunt.

Liberior alvi fluxus inter corticis uſum relinquendus eſt, ſi nullum inde incommodum naſcatur & ægri levamen ſentiant, cum hæ excretiones ad curationem citam & conſtantem multum faciant.

Si vero vires proſternantur, febris pertinaciter pergat, tunc uncia ſemis, aut una theriacæ Andromachi utiliter, ut ſcutum ſtomachicum apponitur. Effectu inde non ſuccedente opio cortici peruviano juncto diarrhœa minuenda eſt.

Conveniunt & opiata cum cortice in febre a terrore & animi pathematibus cauſata, maxime in hypochondriacis & hyſtericis.

In febribus pertinacibus, ubi ventriculus debilis eſt, amara ut gentiana, trifolium fibrinum, centaurium minus, &c. cortici feliciter junguntur (a).

Non-

(a) Murray Apparatus Medicaminum. Tom. II. pag. 15.

Nonnulli contrajervam (a), ſerpentariam ante paroxyſmum ſuadent; ſimilia quandoque utilia ſunt in locis paludoſis, ubi ægri pallidi, inflati ſunt habitus, pulſus extra paroxyſmum lentus & parvus eſt; cavendum autem in epidemiis ſiti, calore, urina magis colorata ſtipatis, alias autumnales, facile in continuas mutantur.

Infantes & nonnulli ægri corticem reſpuunt, his elota prius per clyſma emolliens alvo in decocto (Nro. 50.) per enemata injiciendus, cum a ſubſtantia abdomen durum, inflatum, ſcybala duriſſima cum pertinaci alvi obſtructione cauſentur.

Ubi ob vehementiam febris & inefficaciam decocti ad ſubſtantiam corticis recurrendum, alvum diu clauſam clyſmate emolliente quandoque eluere & dein iterum enematibus ex cortice continuare oportet.

In ſuburbio ſancti Leopoldi femina erat ſyſtematis nervoſi admodum debilis, quæ acceſſu febrili putridarum ſimili corripieba-

(a) Rutti Materia medica. Tom. I. pag. 136.

piebatur cum nauſea, vomitu pertinaciſſimo materiæ porraceæ, alvo adſtricta, pulſu celerrimo & debiliſſimo. Medicamenta ex acidis antiphlogiſticis & clyſmata nullam ferebant opem. Altera die febris remittebat; ſed vomitus ſincerus pergebat. Tentavi fruſtra remedia ex mentha, meliſſa, vino: incaſſum externe emplaſtrum ex labdano, opio & camphora apponebatur.

Ob vomitum continuum, debilitatem ſummam, laudanum liquidum Sydenhami interne propinavi; verum & medicamenta & jura carnium ſubito ac in ventriculum pervenerunt materiæ porraceæ miſta vomuit. Tertia die increſcebant ſymptomata, hemiplegia lateris ſiniſtri accedebat, ita, ut & oculus in ea parte jam mortuorum ſimilis fuiſſet: veſicantia ſuris & nuchæ apponebantur, abdomen & regio ventriculi infuſis herbarum aromaticarum, ut rutæ, rarismarini, incaſſum fovebantur: ſequenti die ſymptomata parum mitiora, pulſus debiliſſimus, ſed minus celer, manebat tamen lingua balbutiens & immobi-

litas

litas lateris ſiniſtri, urina plus tincta erat cum exiguo ſedimento. Suſpicabar febrim larvatam & corticem peruvianum in auxilium vocandum Medicis Clariſſimis in conſilium vocatis propoſui. Unus ex his nil niſi malum hyſtericum accuſans moſchum proficuum credidit; ſed & hunc ſubito cum multa materia porracea ejecit. Ob ſummum in mora periculum ad corticem peruvianum confugi. Cum nil per os aſſumere valeret, decoctum corticis cum binis drachmis pulveris ano omni trihorio injici curavi. Non rediit quidem majori vehementia paroxyſmus; verum per tres dies ſymptomata in eodem ſtatu permanſerunt. Miratus tunc fueram a tanta corticis quantitate effectum voto non reſpondiſſe. Bona fortuna veſicam videram, qua ab obſtetrice enemata applicabantur: ſuſpicatus igitur inefficaciam remedii ortam fuiſſe ab inſtrumento, dum non ſatis veſicæ ope cortex peruvianus in inteſtina ingerebatur, hinc non ſufficiens quantitas per vaſa bibula, in inteſtino recto aliunde pauciora, abſorbebatur. Syringam itaque veſicæ ſub-

ſtituen-

ſtituendam juſſi, inde brevi omnia ſymptomata evaneſcebant, & cortice peruviano dein per os aſſumpto integre a morbo hoc periculoſiſſimo liberabatur.

Manens per tempus debilitas lateris ſiniſtri & lingua balbutiens pilulis ex gummi ferulaceis, extracto martis, caſtoreo & balneo baadenſi tollebatur.

Clyſmatibus quoque ex cortice peruviano patrem prædictæ feminæ ſexagenario majorem febre apoplectica larvata laborantem, omnia remedia reſpuentem curavi.

Si puſio mammis inhærens febre intermittente corripiatur, nutrix corticem ingerat.

Laudatur cortex cataplasmatis inſtar aqua mixtus intra linteum tenue abdomini applicatus, ſed inefficacem hanc methodum reperii; minus adhuc proderit, ut cenſente Pye corticis pulvis intra linteum duplex conſutus nudæ infantum cuti apponatur.

Nonnunquam febres graſſantur, maxime in locis paludoſis, cortici pertinaciſſime

resistentes & fugatæ brevi iterum revertentes: tunc loci mutatio ægris suadenda est.

Nil pejus, quam variis remediis decantatis febrim tollere. Rustici spiritum vini cum pipere contuso sumunt; sed inde febres continuæ & lethales ventriculi inflammationes causantur.

Ex usu aluminis & vitrioli consumptiones secutas: ex arsenico sumpto vomitus, febres lentas & mortem viderunt præstantissimi Medici. Ego ipse febrem quotidianam, quinque annis durantem, corpus depascentem, omnia remedia eludentem observavi a tinctura arsenici, quæ Lipsiæ ab agyrta propinabatur. Hinc bene monuit Celeb. Werlhoff, quod arsenicum nunquam dari possit a viro erudito & hominum amatore.

Multa adhuc alia, ut specifica in intermittentibus ab ignaris laudantur. Verum aut calefacientia sunt, quæ in continuam & inflammatoriam mutant: aut adstringentia, quæ obstructiones viscerum & hydropes causant.

Non-

Nonnulli motu vehementissimo ante paroxysmum febrem fugare cupiunt; sed & inde intermittentes in continuas mutantur.

Non pauci severa abstinentia febrem tollere volunt pessimo sæpe cum successu; cum vires nimium frangantur, corpus exhauriatur & humores acriores reddantur. In quartanis malos effectus inde vidit Ill. van Swieten; imo concludit in quartanæ initio ne quidem tutam esse tenuem & exactam nimis diætam.

Laudantur a variis varia remedia specifica ad febres tollendas, ut cortex salicis Arnica, lignum Quassiæ; optime vero monet Cel. Spielmann (a), quod Quassiæ lignum respectu virtutis febrifugæ a cortice peruviano vincatur.

Corticem salicis iterum iterumque sed irrito conatu exhibuit Bergius (b).

(a) Institutiones Mat. Med. pag. 225.
(b) Mat. Medic. Tom. I. pag. 788.

Arnicam, quam Berolinenſes (a) contra fomites febris ſæpius recidivantis commendant, in decocto & in pulvere fruſtra exhibuit quartana laborantibus idem Clar. Vir. Imo decoctum majorem in modum vexavit ægros. Ipſi, qui prædicta remedia laudant, plus fiduciæ in corticem peruvianum habere videntur, dum eundem prædictis pharmacis addunt, ubi ab iis febris non tollitur.

Neque ab uno, aut altero caſu febris per quoddam remedium curatæ argumentum formari poteſt, ſpecificam huic remedio virtutem ineſſe.

Varia enim ante inventum corticem ſolventia & amaricantia cum ſucceſſu dabantur; imo noſtris temporibus Rutti (b) quandoque intermittentes cortici reſiſtentes infuſo centaurii minoris, pulvere chamomeli nobilis, aut ſucco ejusdem ad duo aut tria cochlearia cum guttulis aliquot ſpiritus vitrioli curavit.

Quan-

(a) Decade prima pag. 61.
(b) Materia med. pag. 120. 217.

Quandoque intermittentes mihi occurrebant, quæ per corticem peruvianum brevi mitissimæ evadebant, mansit tamen levior aliquis recursus post magnam quantitatem prædicti remedii ingestam; in similibus nullo symptomate graviore urgente ab omni medicamento abstinui & sponte dein a febre liberabantur. Vidi inde confirmatum Cel. Torti (a) observatum, quod tam levis sæpe sæpius sit accessionum recursus, ut nonnunquam expediat febrilis fermenti reliquias ipsi effervescentiæ febrili duobus, aut tribus accessibus dissipandas relinquere.

Diæta alia est ratione febris, subjecti longitudinis morbi. Gravidæ, exhausti magis nutriendi sunt, uti & infantes & ætate admodum provecti.

Quotidianæ & tertianæ exquisitiorem petunt diætam: quo accessus longiores & frequentiores, eo pauciora alimenta concedenda.

(a) Therap. special. pag. 273.

Febricitantibus & ex febre reconvalescentibus pinguia, fumo indurata, leguminosa & omnia, quæ crudiorem chylum generant, interdicenda sunt, cum hæc & in sano febrem producere valeant.

Bene monet Pringle, ut febre intermittente laborantes a fructibus horæis abstineant.

Cibus non dandus tempore, quo paroxysmus expectatur.

Senibus, pituitosis, asuetis, si nullus febris continuæ metus, extra paroxysmum moderatus vini usus concedendus.

Somnus sit longior ad corpus refocillandum.

Exercitia moderata prosunt tempore apyrexiæ ad assimilationem ingestorum & excretiones per alvum, urinam, transpirationem promovendas.

Cavendum a transpiratione suppressa, hinc corpus bene tegendum, aër nocturnus evitandus & loca paludosa fugienda.

Nonnunquam intermittentibus œdema accedit, quod satis facile levioribus frictionibus & usu roob sambuci, Juniperi, in-

fuso-

fuſorum amaricantium, & leviter ſtimulantium cedit (Nro. 51.)

Noſcitur autem hoc œdema ex debilitate & non ex obſtructionibus natum eſſe, ex viribus fractis paroxyſmis vehementibus, albo oculorum non flavo, alvo libera & victu malo prægreſſo.

Per febres intermittentes diuturniores ægri debilitantur, ut & febre fugata multum langueant. His amaricantia, leviter, roborantia, victus eupeptus, vina generoſiora commendanda.

Roborandi cauſa panem biscoctum vino auſtero madidum deglutiendum ſuadet Illuſtr. van Swieten; ne tam cito virtus vini delabatur.

Aër ruralis & equitatio plurimum quoque corpus firmant.

Debilibus recidiva intermittentium laborantibus calybs cum cortice jungendus, quod remedii genus apprime etiam ſiſtit ſudores illos glutinoſos, quibus tales ægri diffluunt.

Ubi uſu nominatorum robur debitum ægris non redit, ad vinum ex cortice peruviano, limatura martis paratum confugiendum.

dum. Ferrum enim, monente iterum Illuſtr. van Swieten, lenibus acidis ſolutum non tantum vi auſtera adſtringente agit, ſed ſulphuris ſui metallici, naturæ humanæ adeo amici, miro ſtimulo vires vitæ excitat.

Quibus vinoſa diſplicent, pilulæ ex limatura martis, extracto corticis peruviani reſinoſo, maſtiche, &c. præſcribi poſſunt.

Quandoque ſola ventriculi debilitas remanet. Ad tonum hujus reſtaurandum elixir antifebrile Diſp. vien., eſſentia ex amaricantibus parata, ut abſynthii ad drachmam dimidiam pro doſi ſumpta, convenit. Si vero ſpirituoſa non ferant, elixir ſtomachicum Diſp. vien., aut electuarium ex theriaca diateſſeron, zinzibere condito prodeſt. (Nro. 52.)

Ubi præ inertia nullum fere ex chylopoeticis viſceribus ſuo fungebatur officio, frictiones jejuno homine per totum abdomen factæ pannis aſperis laneis mirabiles dederunt effectus; imprimis ſi penetrati fuerint fumo accenſi ſuccini, maſtiches. (Nro. 53.)

Novi

Novi ante plures annos officialem, qui ſumptis fruſtra aptiſſimis remediis ſuaſu Ill. van Swieten frictionibus dictis curabatur.

Incipiendum ſemper a lenioribus.

Sudores poſt intermittentes remanentes tollendi ſunt methodo in capite de ſynocho non putri memorata.

Peſſimo olim more ſupperata per corticem febre purgantia exhibuere, alii iterum ob metum recidivæ omnia alvum moventia damnabant, ſi bene valeant a febre reconvaleſcentes, piaculum foret, corpus purgantibus turbare; ſæpe vero poſt fugatam febrem copia humorum inertium colligitur in primis viis; renatus porro a febre nimius ſæpe appetitus facile quid indigeſti colligit, quod ni mature & blande expurgaretur, facile fomitem recidivæ præberet; ſic in quadam febre intermittente epidemica ægris per duas, tresve ſeptimanas ab omni febre liberis, lene purgans ſummo cum fructu dedit & aliquot vicibus repetiit van Swieten & ingentem inde copiam bilioſæ ſaburræ expelli vidit; neglectis pur-

gantibus anorexia icterus, linguæ sordities, urina rubicunda redibant (a).

Sunt & aliæ febres ut rheumaticæ, hæmorrhoidales, &c. Sed de his in capitibus morborum, ad quos spectant, agam.

Pauca tantum de febre puerperarum disseram. De hujus natura dissentiunt Authores, nonnulli eam ad inflammatorias, alii ad putridas; alii denique ad malignas referunt.

Rariores sunt puerperis febræ inflammatoriæ, nisi a rudi obstetricantis manu a frigidiore admisso aëre, aut spirituoso potu & inde suppressis lochiis oriantur, nascuntur nonnunquam, si gravidis, plethoricis, vegetis vinum generosum ad sustentandas vires ante partum præbeatur.

Crebrius animadvertuntur synochi simplices, quæ aut neglectæ, aut non debite tractatæ in putridas abeunt, præcipue si immundities lecti & linteaminum concurrat, vel amicæ puerperas copiosius invisent.

Deni-

(a) Rahn Adverf medico practic. Vol. I. pag. 139.

Denique, quibus in gravitate abs necessitate largius vena secta, aut post partum sanguis eductus fuit, quæ calido regimine vexantur, aut quibus ob levem febrilem motum mixtura hoffmanniana, vel camphora propinatur, crebrius febribus exanthematicis laborant.

Præcaventur febres puerperarum diæta tenui, potibus diluentibus, leviter emollientibus, (nisi alia vetet ratio) alvo per clysmata aperta servata, munditie lecti, aëre cum prudentia renovato, evitatis animi pathematibus, nimia loquacitate & medicamentorum usu, dum rite valent.

Doloribus levioribus post partum sanguinis grumi ex utero educuntur, acerbiores cauta manu paregoricis mitigandi sunt; ubi vero puerperæ præcipue teneriores a mediocri opii dosi alto somno merguntur, de torpore, insolita gravitate capitis conqueruntur, si paululum delirent ab opio desistendum est (a).

Dum

(a) Tralles Usus opii salubris & noxius. Tom. IV. pag. 120.

Dum febris lactea exorbitat, ſitis urget, calor major vexat, alvus ſilet, præter clyſmata mixturam antiphlogiſticam cum ſalibus mediis exhibere oportet, nec unquam ab his incommodum vidi.

Ubi febris puerperarum nata eſt, hæc ut aliæ inflammatoriæ, putridæ, aut mixtæ pro diverſitate genii, ſymptomatum tractandæ ſunt; id ſolum monendum reſtat, veſicantia cautius apponenda eſſe ob vim irritantem & urinarias vias penetrantem, & corticem peruvianum, ubi proclivitas in putredinem animadvertitur, purgato corpore ſine mora indicari; neque meticuloſum nimis Medicum in purgantibus exhibendis eſſe oportet, ſic Fel. Platerus in gravi puerperæ febre cum convulſionibus leniter alvum cum levamine ſubduxit; vitanda vero ſunt cathartica fortiora.

Hac methodo eâ felicitate uſus ſum, ut ex innumeris puerperis, quarum curam per 28 annos habui, paucæ febre puerperarum decubuerint & ex his unica ante biennium femina omnino intemperans e vivis eriperetur. In domo quoque regia obſtetricia hauien-

ſi

ſi inter trecentas & triginta ſeptem puerperas duæ febri puerperali correptæ fuerunt, quarum una ſuccubuit, altera evaſit, quod regimini frigido, debitæ munditiei, peritæ domus obſtetrici & ſimplici methodo adſcribunt (a).

CAPUT

(a) Societatis Medicæ Hauniensis Collectanea, Vol. I. pag. 373.

CAPUT XIII.

DE

INFLAMMATIONE IN GENERE.

Definitur inflammatio, quod ſit tumor rubens, ſplendens, renitens cum calore, dolore fixo, pulſu duro & functione læſa partis adfectæ.

Non requiritur, ut hæc ſigna omnia adſint. Nam ſæpe tumor inflammatæ partis non in conſpectum venit. Quandoque doloris loco, ut in peripneumonia & hepatitide, anxietas adeſt. Nonnunquam, ut in ophthalmia & quibusdam anginæ ſpeciebus, nec pulſus durus, aut fortis tangitur. Imo in gravioribus inflammationibus neglectis, vel male curatis, pulſus parvus & debilis occurit. Quandoque, ſed rariſſime, nullis ſignis inflammatio latens detegi potuit: ſic Celeberrimus Univerſitatis

hujus

hujus Professor Antonius de Haen (a) casum habet ventriculi perquam inflammati & gangrænosi, ubi ad mortem fere usque nec signa febris aut gangrænæ in pulsu, nec signa doloris in hoc viscere, nec signa alicujus in ejusdem functione defectus adparuerunt. Gravissima intestinorum inflammatio in cadavere inventa fuit, quæ acutissimo dolore ægrum affecit absque pulsu aucto & motu febrili (b). Et Morgagnius vehementissimæ enteritidis absque ullo dolore ægrum cruciantis meminit.

Verum hæ deceptiones (c) in febribus biliosis & putridis frequentiores sunt, quam in morbis venere inflammatoriis.

De causa inflammationis dissentiunt Auctores. Quidam a sola humorum tenacitate, quidam ex acrimonia quadam partes sensibiles irritante: alii ab utraque hac inflammationem produci existimant.

Boer-

(a) Ration. med. part. VI. pag. 263.
(b) Academ. natur. curios. Vol. III. Observ. 47.
(c) Selle Rudiment. Pyretolog. methodic. pag. 108.

Boerhaavius causam proximam inflammationis stagnationem sanguinis in vasis arteriosis cum majori impetu humorum a tergo motorum statuit.

Alii volunt, quod sanguis per arterias transudet & in cellulosam extravasetur, existimantes melius inde inflammationem ab acribus adplicatis explicari posse.

Probant suam sententiam ex suppuratione & gangræna, quæ in tunica cellulosa locum habet; ex injectionibus in vasa sanguinea per Clarissimum Meckel factis non in lymphatica, sed in cellulosam penetrantibus: ex animalibus motu ante mortem exercitatis, quorum aorta a sanguine transudante inflammatur.

Uberius de his legi possunt Halleri Tomus primus Phisiologiæ majoris, & Supplementa Ernesti Platneri in Institutiones chirurgicas parentis.

Crudelem illum sudorem sanguineum in cellulosa spatia pulmonis effusum vidit Illustris Hallerus (a).

Ob-

(a) Opuscul. paholog. observ. XIV. Histor. I.

Obſtructio in ophthalmia autopſia demonſtratur.

Forte utraque ſententia locum habet; cum ipſe Illuſtris Hallerus in malo inchoato arterias obſtructas eſſe poſſe contendat: ſed

Non noſtrum inter vos tantas componere lites,

quæ forte in curatione nullam diverſitatem creant; cum ex utraque opinione remedia ad celeritatem ſanguinis minuendam, cruoris firmitatem adtenuendam & acrimoniam corrigendam commendentur.

Obſtructio illa vel effuſio ab innumeris naſci poteſt: ut ab acribus ingeſtis, calore, motu vehementi, evacuationibus conſuetis ſubpreſſis, vi externa &c.

Mediæ ætatis homines magis morbis inflammatoriis obnoxii ſunt, quam infantes & ſenes.

Prognoſis variat pro ratione ætatis, ſubjecti, epidemiæ.

Facilius enim ceteris paribus inflammatio in feminis & junioribus curatur: quam in adultis & duro labore fractis corporibus,

ob canales mobiles & humores minus denſos.

Gravidæ duplex periculum incurrunt morbi inflammatorii & abortus metuendi.

Phthiſicis inflammatio viſceris nobilioris, ut pulmonum, hepatis, accedens fere lethalis.

In ſcorbuticis ne levis quidem inflammatiuncula, licet ab externis cauſis in cruribus nata, reſolutione tollitur; ſed fere ſemper in ulceroſam diatheſin degenerat.

Idem etiam in aliis omnibus cacochymiis, quæ acrimoniam comitem habent, obſervavit van Swieten.

Si in morbis inflammatoriis celeritas pulſus cito minuatur, ceteris ſymptomatibus permanentibus certum periculum notat.

Inflammatio benigna reſolutione, criticis evacuationibus, metaſtaſi ad alias partes ſolvitur; vel in ſuppurationem, gangrænam, ſphacelum, ſcirrhum abit.

Benigna reſolutio tantum ſperanda in mitiori malo & humoribus blandis, &c.

Eva-

Evacuationes criticæ ſunt, quæ morbum levant & prægreſſa coctione adparent.

Utplurimum ea via fiunt, per quam a viſceribus in ſtatu ſano quædam excerni videmus. Hinc in hepatitide & inteſtinorum inflammatione diarrhœa, in nephritide urina, in peripneumonia ſputa critica, &c. crebrius obſervantur.

Metaſtaſis prævidetur: ſi nec benigna reſolutione, nec critica evacuatione morbus ſolvatur; aliæ vero partes, ut inguina, parotides, &c. tumeant, rubeant, doleant.

Si enim ad partes nobiliores, ut hepar, lienem, &c. contingant: mors plerumque ſequitur, niſi alia evacuatio ſuccedat.

Malum in ſuppurationem abit, ubi inflammatio vehemens, ſed non maxima, nec benigna reſolutione, nec critica evacuatione ſolvitur.

Docent eam in parte nobiliore remiſſio ſymptomatum, horripilationes absque alia ratione manifeſta ſuccedentes, febricula, & ſi poſt dolorem acutum ponderis ſenſus in loco adfecto percipiatur.

Nonnunquam tamen acerbiſſimus dolor ſupereſt, licet locus ſuppurandus perfectiſſime maturuerit; quia pus collectum & auctum quotidie cutim incumbentem diſtendit & ſenſim dilacerat.

Fluctuatio tumoris preſſi, quæ ut ſignum ſuppurationis factæ ſtatuitur, commode nec quidem in externis partibus percipi poteſt, niſi emineat tumor; dum enim in panniculo adipoſo profunde inter muſculos decurrente abſceſſus hæret, hoc ſigno non facile detegetur.

Aliquando a pure diſtento ſic comprimuntur vaſa cutanea, ut ſublato vitali influxu & effluxu humorum pars gangræneſcat, & ſublividum colorem acquirat.

Collectio puris in loco clauſo vomica audit.

Hæc diu relicta eroſiones per vias varias, ſinus, fiſtulas creat: vel reſorpta febrim incendit.

De puris reſorptione dubitat Clariſſimus Platnerus junior, & eos errare credit, qui pus ſanguinem in tumore quieſcentem liquefactum & cum tunicæ adipoſæ ipſorumque vaſorum finibus exeſis miſtum,

ſta-

ſtatuunt: ſed ea mala, quæ a reducto pure duci ſolent, a materia purulenta ex ſanguine excuſſa, & a viſcerum officio ſuo exequendo imparium inertia & hebetudine quadam repetit.

Non negare cupio diatheſin purulentam in ſanguine exiſtere, cum ex levi & anguſto ulcere tanta quandoque puris copia emanare ſoleat, cui nec continendo, nec præparando illa vel tumoris vel ulceris anguſtia par eſſe poterat.

Peſſima tamen mihi mala occurrebant, quæ reſorpto puri originem debebant. Ideo & Celeberrimus Pringle abſceſſus in febribus continuis ortos brevi aperiendos ſuadet.

Vomica rupta majus vel minus periculum portendit pro ratione puris & pro diverſitate partis, quam occupat.

Optimum eſt album, ſpiſſum, inſtar cremoris lactis, adtactu pingue, inodorum. Quo magis ab his qualitatibus recedit, eo pejus.

Nonnunquam morbi acuti ſubito deponunt in quandam corporis partem copiam veri puris, licet nullum ſignum topicæ in-

flammationis aut ſuppurationis in ullo corporis loco obſervatum fuerit (a).

Gangræna ſequitur, ubi inflammatio maxima, rubedo ſumma in purpureum vergens, calor urens & dolor magnus, continuo increſcens, obſervatur.

Præſens noſcitur phænomenis inflammationis absque ratione ſubito ablatis; debilitate; frigore extremorum.

Si pars viſibilis ſit: colore cinereo, fuſco, livido, nigro; puſtulis ichore ſubflavo, rubello, nigro refertur.

Licet in parte gangrænoſa proprie nullus ſenſus ſit, a partibus ſubpoſitis & ambientibus adhuc vivis & inflammatis non raro dolor oritur, qui pro bono ſigno habetur, ſi in toto ambitu partis jam gangrænoſæ rubor, dolor, calor, tenſio, &c. inveniantur; modo non tam valida ſint hæc ſymptomata, ut metus ſit & hanc inflammationem in gangrænam tendere.

Novimus enim tunc vitam ſuperſtitem in reliquo corpore moliri ſeparationem gangrænoſi corrupti a vivis partibus vicinis.

Va-

(a) Van Swieten. Tom. III. pag. 340.

Variat periculum pro diverſitate partis adfectæ, ætatis, temperamenti & virium ægri.

Si in parte gangrænoſa omnis ſenſus motusque pereat & fœtor cadaveroſus accedat: ſphacelus adeſt.

In partibus externis cute tectis pars ſphaceloſa inſtar arefacti corii dureſcit, in reliquis potius in tabem gangrænoſam deliqueſcit.

Gangræna eſt incipiens mors partis, ſphacelus perfecta mors.

Gangræna utplurimum panniculum adipoſum, ſphacelus cuncta ad oſſa usque inficit.

Gangræna præcedit, ſphacelus ſequitur: niſi ab oſſis corruptione, medullæ, vel perioſtei originem duxerit.

Omnis ſphacelus periculum portendit, quod augetur pro ratione ætatis, temperamenti & partis, quam occupat.

Superiora petens, ſingultu, ſudore frigido ſtipatus, peſſimus.

Si inflammatio tumorem durum, indolentem relinquat, ſcirrhus dicitur, cujus utplurimum ſedes glandulæ ſunt: licet

etiam in aliis partibus tales præternaturales duri indolentes tumores obſerventur, & frequentiſſime ſcirrhi absque inflammatione prægreſſa naſcantur.

Scirrhus per ſe eſt innocuus: ſed dum mole augetur, vicina comprimendo, inflammationes, atrophias, ſphacelos creat.

Scirrhus ſemper ægre ſanatur, cum materies in glandulis collecta & inſpiſſata extra circulationis limites quaſi hæreat, neque impetus liquidi arterioſi directe adeo in hæc loca agere poſſit.

Inveteratus, & qui in glandulis magis compoſitis hæret, curatu difficilior.

Si in ſcirrho titillatio, pruritus, rubor, dolor urens, pungens; color ex rubro in purpureum, lividum mutetur; durities major, ſcabra, cum eminente apice; vaſa ſanguifera vicina tumentia, varicoſa, craſſa, atra animadvertantur: cancer dicitur. Licet & hic absque ſcirrho prægreſſo, ut in lingua, labio oris, quandoque naſcatur, qui a nonnullis cancer fungoſus dicitur.

Antea deſcriptus occultus audit. Ubi vero excoriata quaſi epidermide denudatur

&

& aperitur; tenuis, acer ichor transprimitur; apertus nuncupatur.

Dictis signis occultus cancer in partibus corporis externis hærens satis cognosci potest: ubi autem in interioribus delitescit, difficilius hoc scitur.

Scirrhi prægressi signa, calor & dolor in iis locis, in quibus antea inertis tantum ponderis sensus percipiebatur, lucem in obscuris his casibus dant.

Prognosis est pessima. Cancer occultus, non admodum dolens ab hominibus temperanter viventibus diu absque graviori molestia ferri potest. Secus vicinæ partes adficiuntur, fœtor cadaverosus, hæmorrhagiæ lethales, febres, convulsiones, mors sequuntur.

De cura generali inflammationis brevis ero: cum chirurgica viris in hac arte exercitatis relinquam; medica vero ex sequentibus capitibus inflammatorum viscerum abunde, ut opinor, pateant.

Indicationes sunt: ut impetus humorum exorbitans minuatur, a partibus nobilioribus derivetur, nimis torpens excitetur;

crassum incidatur, crudum coquatur & coctum evacuetur.

Impetus humorum minuetur & a partibus nobilioribus derivabitur, venæ sectionibus, hirudinibus, clysmatibus, fomentis, sinapismis, purgantibus antiphlogisticis.

Phlebotomia efficacissimum in inflammationibus est auxilium: partim ad humorum copiam minuendam, adtritum & impetum in locum obstructum minuendum: partim ut depletione facta, diluentia, solventia, eo validius vim suam exerere possint.

Optime vena secatur in loco parti inflammatæ, maxime vicino.

Quæ capite II. de venæ sectionibus dicta fuerunt (a), huc revocanda sunt.

Morbi inflammatorii non solum felicissime per phlebotomiam debellantur: sed & futuri præcaventur in iis, qui dispositionem ad inflammationes: nempe vasa robusta

(a) Pag. 9. 10. 11.

ſta & humores denſos habent; qui ſpirituoſis abutuntur; aut ob negotia injuriis aëris, motibus violentioribus ſe exponere coguntur.

In juvenibus enim & ſanguineis, febribus acutis correptis, a ſanguinis miſſione neglecta phrenitidem, inflammationem ventriculi & pulmonum lethalem vidit Fridericus Hoffmannus.

Verum Medici nomine indigni ſunt, qui ob quemlibet dolorem, æſtum & anxietatem, ſanguinem detrahunt: inde Lommius (a), & van Swieten omne corporis robur ſolutum, ac hydropes; Sydenhamus manias; Tiſſot in hyſtericis ſpaſmos & convulſiones viderunt.

De venæ ſectione repetita prophylactica Galenus optimum judicium tulit. Sæpius per annum venam ſecare non expedit, quippe cum ſanguine e vena vitalis excernitur ſpiritus; eo autem copioſius abſumpto, univerſa corporis moles refrigeratur, omnesque naturales operationes deterius perficiuntur.

Craſſum

(a) De curandis febribus continuis. pag. 25.

Crassum in inflammatione incidetur & crudum coquetur per ea, quæ relaxant, solvunt, absque quod humorum impetum & velocitatem augeant.

Hinc varia remedia ex hordeo, avena, radice graminis, althææ, rob sambuci, melle, oxymelle, syrupis ex fructibus horæis paratis, cum largiori nitri dosi, parari possunt.

Ubi febrilis impetus languet, quod ex viribus, pulsu, habitu ægri patet: ab evacuationibus, multum refrigerantibus, abstinendum; sed ad vinosa, vesicantia, camphoram & moschum confugiendum.

Vesicantia optime monente Clarissimo Ludwig minime conveniunt in siccis corporibus, imprimis si spasmi vehementiores, vel inflammatorii motus universales adesse observentur.

Vesicas factas solummodo aperire oportet. Cavendum, ne epidermis auferatur; quia hoc dolores tantum auget & nihil ad sanationem contribuit.

In suppuratione motus nonnunquam augendus, nonnunquam minuendus.

Mode-

Moderamen adesse noscitur: si calor in loco inflammato sani caloris gradum quidem excedat, nec multum tamen; si dolor adsit, sed non summus; si tumor, rubor, in partibus conspicuis augeantur quidem, sed sensim.

Nullum universale suppurans est: sed prout vel augeri, vel minui debet motus humorum, diversam requirit medelam.

Sic in juvenibus, ubi nimius calor, cataplasmata ex lacte conveniunt. In melancholicis, senibus, aut frigidæ temperiei hominibus, stimulantia requiruntur: ut bulbi ceparum sub cineribus assatarum, gummi galbanum, ammoniacum.

Abscessu perfecte maturato puri exitus conciliandus.

Si manibus accessus detur, id vel ferro, vel caustico fieri potest.

Verum monet Illustris van Swieten, quod major dolor a caustico metuendus sit; cum longius tempus requirat & cum vehemens sæpe dolor sentiatur, dum eschara sensim a vivis partibus contiguis secedit. Major præterea cicatricis deformitas solet sequi post hujus adplicationem.

Aper-

Apertura abſceſſus plano plumaceolo tegenda eſt: ut pus collectum libere effluere poſſit, cavendo ſimul, ne faſciæ, vel emplaſtra premant orificium.

Vitandæ turundæ ex linteis carptis, quæ orificium obturando exitum collecto puri impediunt, quod dein in panniculo adipoſo tam facile dilatabili ſinuoſas ſæpe vias quærit. Locus demum mundandus & conſolidandus.

Taceo gangrænam a frigore, ſenio, contuſionibus magnorum nervorum, aut ſpinæ dorſi, ortam.

In gangræna, quæ inflammationes ſequitur, primo examinandum, an vires exorbitent, aut deficiant.

Si pulſus ſit fortis, magnus, utcunque durus; calor vehemens, ad extrema corporis usque pertingens; ſi urina colorata, rubra fuerit, novimus magnas circulationis vires eſſe, quæ quandoque licet rarius venæ ſectione minuendæ ſunt.

Medicamenta conveniunt antiphlogiſtica ex aceto, ſucco citri &c. parata.

Si magna ſitis urgeat, acida mineralia ad gratum acorem diluta pulchre proſunt.

Ubi

Ubi vires fractæ, pulſus debilis, talia danda, quæ ſpiritus excitant: ut vinum Rhenanum, Auſtriacum, camphora, medicamenta ex meliſſa, mentha, ruta.

Secus indicatur in omni gangræna, ut vires firmentur, putridi ingreſſus in venas impediatur, putredo arceatur & coerceatur.

His tribus indicationibus cortex peruvianus ſatisfacit, ad unciam unam, duas nonnunquam tres nycthemero exhibendus.

Hampius medicus londinenſis natione Germanus in epiſtola ad Werlhoffium ſcripſit, quod ſphacelum ſiſtat cortex, addit, quod idem medicamentum ad cancrum coërcendum tentari poſſit.

Quomodo gangrænoſo putrido limites circumſcribendi ſint & tentandum, ut mortuum a vivo ſeparetur, ad chirurgica pertinet.

Quæ de gangræna dicta ſunt, locum habent de ſphacelo.

Partem extremam in os usque ſphacelatam ſalva vita, una cum oſſe exſtirpandam vult Boërhaavius. Rariſſimi enim caſus ſunt: ubi ſponte ſua partes ſphacelatæ

ceci-

ceciderunt & natura ſine ullo artis auxilio curam perfecit.

In ſchirrho recenti fomenta emollientia, leniter ſolventia, ex ſapone veneto in lacte ſoluto, inunctiones mercuriales (cavendo tamen ſalitionem) tentari poſſunt.

Interne remedia ex ſapone, gummi ferulaceis, cicuta ſæpe profuerunt.

His non levantibus exſtirpatio facienda, ſi locus, ſitus ſcirrhi, conditio, robur & valetudo ægri eam admittant.

Cavendum a ſuppurantibus, rodentibus, cauſticis, diſſipantibus, ne carcinoma ſuccedat.

Cancer non adcretus, ſolus in toto corpore juvenili, ceterumque ſano illico exſtirpandus.

Varia remedia in cancro quandoque cum ſucceſſu adhibita fuerunt: ut cortex peruvianus, belladonna, cicuta. Ab hac cancros ſæpe mitigatos, quandoque curatos Viri fide digni obſervarunt.

Monet quidem Hippocrates, quod melius ſit cancros occultos habentes non curare, quod curati cito pereant, non curati vero longius tempus perdurent. Diu-

tiſſime

tiſſime tamen decocto corticis peruviani cancro laborantes ſervavi; ſi ſitis, calor urgebat, acida mineralia junxi; ſi magna debilitas vel ſudor copioſus ægros vexabat, ſpir. vitrioli dulcem Diſp. edimb. admiſcui, ubi nullus febrilis impetus urgebat, pilulæ ex cortice peruviano, maſtiche, extract, myrrhæ aquoſo palliative profuerunt. Diarrhœa ingruente ſucco catechu & pauco laudano continuato corticis in ſubſtantia uſu fatalem periodum retardavi.

CAPUT XIV.

DE

PHRENITIDE.

Delirium ferox & perpetuum cum febre continua acuta phrenitis eſt, inflammationem cerebri & membranarum ejus pro cauſa proxima habens.

Leguntur quidem apud Williſium, Langriſchium, Huxhamum exempla inflammati cerebri absque ſignis inflammationis; & Bonnetus, Margagnius in nonnullorum qui phrenitici habebantur, cadaveribus apertis non cerebrum inflammatum, ſed vitia imi ventris reperierunt, plurimorum tamen phreniticorum cadavera corticem cerebri ruberrimum, meninges inflammatas, ſuppuratas, gangræna, aut ſphacelo corruptas exhibuerunt.

Ubi primario cerebrum adficitur, phrenitis vera audit. Si vero, aliis partibus prius adfectis encephalon inflammetur phre-

nitis

nitis ſymptomatica oritur: ut a pleuritide, angina, morbillis, variolis, eryſipelate, paraphrenitide &c. nonnunquam accidit.

Morbus a phrenitide diverſus eſt: dum materies morbi aliis partibus adfixa delirium ferox creat: ut in febribus continuis a bile putrida circa præcordia hærente notatur, qua excuſſa ilico redit functionum cerebri integritas.

Quam magnus nexus abdomen inter & encephalon ſit, patet, dum chronicæ lippitudines in pueris a duris meſenterii tumoribus, ex lumbricis cæcitas, ab aſcaridibus nictalopia frequentiſſime occurrunt, nam affecto in abdomine nervo intercoſtali, vel pari vago facile irritatio tranſibit in illos capitis, & dolores ſpaſmosque creabit, qui eo facilius contingent, ubi ſimul, ut plerumque fit, ob ſpaſmos abdominales ſanguinis ad capitis vaſa major congeſtio oritur (a).

(a) Rahn. De miro inter caput & viſcera abdominis commercio. pag. 5.

Juvenibus, adultis, agilibus, mente mobilibus crebrior eſt phrenitis; vel & iis, qui diſpoſitionem ad inflammationes, nempe vaſa contracta, robuſta, humores denſos & acriores habent.

Qui jam antea phrenitide laborarunt, facilius ea iterum corripiuntur. Horum pulſus major & celerior eſſe ſolet, corpus gracile, robuſtum & calidum.

In nonnullis, ſæpius hunc morbum paſſis membranæ cerebri craſſæ, duræ & quaſi calloſæ reperiebantur.

Imprimis autem, notante van Swieten, proclivitas in phrenitidem obſervatur in morbis, in quibus inflammatoria quidem diſpoſitio manifeſta eſt: materia autem phlogiſtica non adeo pertinaciter parti cuidam corporis fixa inhæret, ſed potius vaga & mobilis videtur. Caſum refert mulieris, cui oborta febre continua acutiſſimus dolor ſiniſtram ſuram occupabat. Adplicuerunt lintea, ſpiritu vini madida parti dolenti; poſt bihorium dolore ſuræ evanido peſſime delirabat & paulo poſt convulſa periit ſecundo morbi die.

Nimia

Nimia mentis & corporis exercitatio, insolatio, consuetæ hæmorrhagiæ subpressæ, abusus spirituosorum; tempus anni calidissimum phrenitidem producere valent.

Inter animi pathemata ira maxime ei generandæ favet; dum inde sanguinem majori copia & impetu versus caput ferri novimus.

Cum phrenitis jam præsens difficillime sanationem admittat, signa illa probe consideranda, quæ eam metuendam docent: ut vigiliæ, somnus turbatus, oculi rubentes, ingens dolor capitis cum sensu magni caloris, pulsationis, constitutio epidemica.

Præsens noscitur ex febre continua acuta cum delirio perpetuo & feroci. Licet & pessimæ phrenitidis species observentur; in quibus ægri obscure tantum delirant.

Oculi sunt truces & prominentes, respiratio rara & magna; lingua sicca; facies rubra, inflata.

Nonnunquam phrenitici admodum somnolenti, nonnunquam insomnes sunt.

In initio morbi pulſus eſt durus; ſed eo provecto quandoque tremulus, undoſus, inæqualis.

Phrenitis idiopathica, quæ in terris noſtris rariſſima eſt, ſummum periculum portendit. Proſper Alpinus ſimilis meminit poſt tres, quatuor horas lethalis (a). Secus tertia, quarta, ſeptima die necat ſopore profundo, vel convulſionibus, raro hanc transgreditur.

Symptomatica valde quoque periculoſa; ſed diutius potiſſimum protrahitur.

A leviori angina absque bonis ſignis evaneſcente lethalis ſæpe oritur phrenitis.

Viri gravius laborant & ægrius evadunt, quam feminæ, teſtante Home (b).

Mala eſt permutatio perpetua ſymptomatum; cum magis magisque ſenſorium commune turbari & malum ad alias partes propagari notet.

Alvus ſubpreſſa, urina pallida & tenuis ſiniſtrum præſagiunt morbi eventum: quia

(a) De medicin. ægyptior. pag. 50.
(b) Princip. Medic. pag. 103.

quia acria, quæ excerni deberent, in corpore manent.

Sed & alvi fluxus in initio morbi timendus eſt; cum, teſtante van Swieten (a), ſi in morborum acutorum initio per ſudorem, alvi fluxum, vel aliam quamcunque evacuationem diſſipentur liquidiſſima, ſemper magnus metus ſit infauſti eventus; cum particulæ craſiſſimæ ſanguinis, interpoſito liquido tenuiori, a mutuo contactu & concretione impediantur.

Peſſimus eſt vomitus æruginoſus; dentium ſtridor; floccorum collectio; feces albæ; ſudor frigidus; convulſio; ſputatio frequens in adſtantes. Mali quoque ominis ſopor ex delirio ſine criſi.

Bonum ſignum; ſi dolor aliarum partium ſuperveniat.

Phrenitis & in lethargum, coma, catochen terminatur.

In puerperis, ex lochiis retentis nata, frequentiſſime in maniam & fatuitatem perpetuam abit, obſervante van Swieten.

(a) Commentar. in Hermann. Boërhaav. aphoriſm. Tom. I. pag. 655.

Levant varices, hæmorrhoides, hæmorrhagiæ narium & alvi fluxus poſt phænomena coctionis ſequentes; quia materiam morboſam ab encephalo revellunt, ac evacuant.

Solvitur & phrenitis per metaſtaſin; rariſſime per ſudorem.

Urina cum ſedimento cocto criſis ſignum eſt.

Conſtat ex prioribus ſigna quandóque eſſe, quæ phrenitidem futuram præſagiunt. Convenit tunc: ut ſubito ea omnia in auxilium vocentur, quæ impetum humorum minuunt & a ſuperioribus derivant. Ut venæ ſectio; hirudinum ad tempora, & ſi hæmorrhoides tumeant, ad anum adplicatio. Caput eſt radendum; oxycratum fronti adplicandum; clyſmata, pediluvia & epiſpaſtica (Nro. 13.) ad partes inferiores in uſum vocanda.

Ubi a lochiis retentis phrenitidis futuræ metus eſt, inſeſſus ſupra aquam calidam prodeſt.

Corpus moderato frigore reficiendum & erectum tenendum: ne tanto impetu ſanguis ad ſuperiora feratur. Obſervamus

enim

enim hominibus horizontali ſitu in lecto decumbentibus, caput tumere, & tumorem brevi evaneſcere, dum corpus iterum erigitur. Videmus & in plurimis ægris valide delirantibus increſcere delirium decubitu ſupino & paululum minui erecto corpore.

Remedia conveniunt antiphlogiſtica, diluentia, lenioribus purgantibus mixta: ut decoctum tamarindorum cum ſucco citri & ſalibus mediis (Nro. 1.)

Phrenitide nata ſimilia fere requiruntur auxilia, quæ cito & valide agunt: ne in viſcere hoc nobili aut ſuppuratio, aut gangræna lethalis oriatur. Hinc venæ ſectio larga & per amplum vulnus inſtituenda requiritur.

Suadent multi Auctores, ut arteria temporalis aperiatur; cum facile ad ſuppoſitam calvariam comprimi poſſit. Sed bene monet van Swieten: quod arteriotomia non videatur a venæ ſectione differre; niſi quod prior celerius agat.

Difficillime ſæpius hæmorrhagia ſiſtitur & per compreſſionem plus mali, quam per depletionem boni naſci poteſt.

Attendendum: ne furibundi ægri fascias solvant & hæmorrhagia lethalis inde sequatur.

Abstinendum ab omni detractione sanguinis pulsu jam tremulo & undoso.

Epispastica acriora (Nro. 14.) in phrenitide ad plantas pedum conveniunt. Abstinendum a vesicantibus. Monet Illustris van Swieten: ne talia inferioribus partibus adplicentur, quæ motum humorum per totum corpus acriori stimulo incitari possint.

Vidi præcipue in valde sensibilibus pessimos effectus, dum abrasis capillis vesicantia capiti apponebantur.

Ipse Cel. Cullen, qui (a) opinatur exiguam cantharidum particulam, quæ resorbetur ex vesicatorio, crasi sanguinis mutandæ nequaquam esse parem; ideoque nec prodesse lentorem phlogisticum resolvendo, neque nocere sanguinis dissolutionem a putrida diathesi inductam augendo, tamen pag. 189 monet, quod vesicantia in nephritide vix locum habere possint, sed magnam circumspe-

(a) Primæ Lineæ Medic. Prax. traduc. a Cl. Beerenbroek pag. 83.

ſpectionem poſtulent, ne cantharidum notabilis abſorptio fiat.

Conveniunt vero veſicantia & ad ſuras & ad nucham, ubi pulſus debilis, inæqualis, intermittens tangitur.

Medicamenta indicantur, ut ſuperius monui, quæ ſanguinem diluunt, adtenuant, humorum molem & motum, eorumque impetum ad partes ſuperiores imminuunt. Hinc variæ formulæ ex tamarindis, cremore, tartari, ſale mirabili Glauberi, &c. aceto, ſucco citri, manna, ſyrupis ex fructibus horæis paratis, addito multo nitro, formari poſſunt, ut quaſi diarrhœa inducatur.

Pro potu limonada, vel decoctum (Nro. 6. 54.) hordei cum aceto, nitro, melle, aut cremore tartari convenit.

In ſymptomatica phrenitide ad genium & epidemiam morbi attendendum eſt. Sic Sydenhamus obſervavit: venæ ſectionem in quadam epidemia nullum juvamen tuliſſe, ſed clyſmata & ſpiritum vitrioli; in alia vero purgantia juviſſe.

Celeb. Pringle & Home levem camphoræ doſim cum nitro in phrenitide commendant. Mihi vero, ubi pulſus undoſus,

tre-

tremulus, inæqualis, ſubſultus tendinum & convulſiones adſunt; moſchus ad tria, aut quatuor grana omni trihorio, aut quadrihorio exhibitus præplacet, quod & nervis amicus ſit & ſine ſtimulo permanente vaſa permeet.

Ubi vero pulſus æqualis, fortis, plenus, ab omnibus ſtimulantibus abſtinendum.

Boërhaavius in phrenitide, diluentibus ac evacuantibus non cedente, opiatorum uſum ſuadet.

Commendat & eadem Illuſtr. van Swieten, ubi malum miteſcit: delirium tamen adhuc & noxiæ adeo vigiliæ in hoc morbo manent. A lenioribus autem anodinis incipiendum & ſenſim, ſi priora non ſuffecerint, ad fortiora progrediendum eſſe monet.

Cavendum quam maxime ab opio ad ſomnum conciliandum in initio, aut vigore phrenitidis. Ab eo enim alvi evacuatio adeo proficua ſubprimitur & ſanguis majori copia ad caput fertur; hinc deliria, inflammatio facile augebuntur. Inde & Celeb. Gorter opium inter cauſas delirii numerat.

Poſt

Poſt phrenitidem nonnunquam mania, melancholia, amauroſis, ſurditas remanet, a debilitate & vaſis adhuc dilatatis, errorque loci obſtructis.

In ſimilibus affectibus nocent evacuationes. Aër ruralis; frictiones; veſicantia ad nucham, pone aures; victus eupeptus commendanda.

Quandoque malum eſt immedicabile, dum materies obſtruens cum canalibus jam concreta eſt.

Aër frigidiuſculus, ſæpius renovatus in phreniticis neceſſarius eſt. Hinc æſtivo tempore adſperſio frigidæ in pavimenta; ſuſpenſio linteorum muria ſalis ammoniaci madidorum, plurimum prodeſt; vel ſi virentis ſambuci, roſarum, &c. rami aquæ immergantur.

Omnia inſolita & ingrata ab ægris removenda. Hinc alii in luce, alii in tenebris, prout has vel illam minus horrent, collocandi ſunt.

Peſſimus mos eſt columbas vivas lacerare & capiti adplicare. Cum noxium foveant calorem & dum cito putreſcunt, ef-

fluvia

fluvia earum putrida, bibulis vasis absorpta facile febrim incendant.

Vidit Illustr. van Swieten ophthalmia laborantem, cujus nuchæ lienem recens mactati vituli applicarunt & per viginti quatuor horas reliquerunt, totus lien tepore corporis & humiditate resolutus fuerat in olidissimam putrilaginem, & locus, cui appositus fuerat, validæ inflammationis signa habebat.

Qui ob itinera, aut labores radiis solaribus se exponere coguntur, suadente Tissot, pileolis albis utantur, aut chartam albam pileo adfigant: ut radii solares reflectantur.



CAPUT

CAPUT XV.

DE

ANGINA INFLAMMATORIA.

Angina inflammatoria eſt impedimentum & dolor ab inflammatione partium deglutitioni vel reſpirationi inſervientium ſupra pulmones & ſtomachum poſitarum: ut aſperæ arteriæ, laryngis, pharyngis, muſculorum oſſis hyoidis, veli penduli palatini, uvulæ & frequentiſſime tonſillarum.

Epidemica eſt & ſporadica; idiopathica & ſympathica. Ultima a podagra, eryſipelate, morbillis, ac variolis retrocedentibus ſæpe naſcitur.

Juvenes, ſanguinei, collum nimium conſtringentes & obſervante Sydenhamo, rufi frequentius angina laborant.

Crebrius quoque hic morbus mares, quam feminas vexat.

Impedita transpiratio; subitæ frigoris & caloris vicissitudines; aër per rimas angustas, aut portas oppositas frigidus, præsertim collo illapsus; equitatio adversus ventum frigidum; cantus, vociferatio, tubarum inflatio; alimenta, medicamenta & venena acria; evacuationum consuetarum subpressio; constitutio epidemica anginam inducere valent.

Nonnullis dispositio particularis ad hunc morbum est, ita: ut omni anno eodem adficiantur.

Noscitur angina inflammatoria ex pulsu celeri, duro, siti, dolore faucium, urina rubra, &c.

Pro diversitate partium adfectarum diversa observantur symptomata.

Si pharynx sit inflammata, respiratio est sat commoda; deglutitio dolens, impossibilis; deglutienda per nares redeunt. Posterior pharyngis pars, vertebris colli incumbens, aperto ore conspici potest.

In larynge inflammato vox est acutissima, stridula; dolor ingens inter deglutiendum, cum tunc larynx elevetur.

In-

Inflammatio aſperæ arteriæ ſigna externa nulla præbet, cum ore aperto & depreſſa lingua extremum tantum epiglottidis adpareat, glottis vero nunquam in conſpectum veniat. Vox eſt acuta, clangoſa, ſibilans; inſpiratio acute dolens; reſpiratio parva, frequens, ſumme laborioſa; pulſus ob circulationem ſanguinis per pulmones difficilem mire & cito vacillans.

Bene monet Illuſtr. van Swieten (a): quod licet quis in diſtinguendis laryngis & aſperæ arteriæ inflammationibus hallucinaretur, non adeo multum inde metuendum foret; cum ambæ hæ funeſtiſſimæ ſint & eandem curationem requirant.

Si ſoli muſculi, elevando oſſi hyoidi inſervientes inflammantur, plerumque tantum in uno latere affectus talis hæret. Inſpectis faucibus nullus ſæpe tumor adparet; cum muſculi illi profundius recondantur.

Diſtin-

(a) Tom. II, pag. 659.

Diſtinguitur hæc anginæ ſpecies a præcedentibus: quod reſpiratio ſatis libera maneat, neque acuta adeo & clangoſa vox ſit.

Tonſillæ, uvula, velum pendulum depreſſa lingua facile in conſpectum veniunt. Excreatio iis inflammatis eſt frequens, mucoſa, viſcida; reſpiratio incommoda, difficilis, per nares nulla vel parva; dolor in aurem per tubam Euſtachianam protenſus.

Quandoque plures harum partium ſimul adfectæ ſunt.

Sollicite monet van Swieten: quod ubi muſculi veli palatini & uvulæ &c. inflammati ſunt, ſæpe non videatur rubedo, dum partem inſpicimus; quia obducitur materia alba. Hinc cavendum: ne forte gravis hæc inflammatoria pro pituitoſa habeatur.

Occurrit ſæpe tumor palati, dum dentes ſuperioris maxillæ carioſi, vel radicibus ſuis alveolos pertundentes, membranam palatum oſſeum inveſtientem irritant & inflammant.

Paro-

Parotides & reliquæ ſalivales glandulæ tumentes frequentem ſatis anginæ cauſam faciunt.

Prognoſis eſt diverſa ob vehementiam mali, locum adfectum, conditionem ægri & conſtitutionem epidemicam.

Si inflammatio ſatis levis, humores blandi &c. benigna reſolutio ſperanda eſt.

Solvitur & critice per hæmorrhagiam, alvum, metaſtaſin &c.

Ceterum, ut omnes inflammationes, in ſuppurationem, gangrænam & ſcirrhum abit.

Ex inflammatione pharyngis ob defectum alimentorum humores acriores fiunt, febris incenditur; ſed major eſt morbi duratio ante illatam mortem.

Summum diſcrimen ex larynge inflammato adeſt: ne a tumore ſubito ſuffocetur æger. Periculum magis augetur, quo propinquius malum glottidi eſt.

Aſperæ arteriæ inflammatio ſubito homines e medio tollit, quod Sydenhamus paucis nonnunquam horis fieri monet. Rariores tamen ſunt funeſtiſſimæ hæ anginæ.

Inflammatio linguæ, maxime circa ejus radicem, nonnunquam suffocationem minitatur.

Ab uvula, tonsilla &c. inflammatis, nisi forte pessime tractentur, vix lethalitas timenda est; cum extrorsum adtolli possint tonsillæ & versus oris cavum prominulæ inveniantur. Hinc minus periculum est, ut vicina laryngis apertura ab his tumoribus obturetur.

Quo plures partes simul inflammatæ, eo majus periculum.

Nonnunquam resolutione, aut suppuratione in una tonsilla facta, altera inflammatur.

Pessimam prognosin faciunt in angina, dum, impedito reditu cruoris in jugulares externas, tumor ingens vultus, oculi prominentes, sensus hebetes & stertor observantur.

Funestissima est angina, quæ nec in faucibus, nec in cervice quidquam conspicuum exhibet.

Lethalis quoque, quæ per epigenesin ex aliis morbis inflammatoriis, vel acuta oritur. Angina enim venæ sectionem &

pur-

purgantia copiosa requirit, quæ æger, a prægressis morbis debilior ferre nequit.

Bonum contra signum est, si collum & pectus rubeant; quia notat bona metastasi materiam inflammatoriam ad exteriora transire.

Remedia requiruntur ea, quæ humorum motum & copiam minuunt, atque a superioribus derivant.

Hinc venæ sectio audax, larga requiritur, recrudescente malo subito repetenda. Præstat enim, monente iterum van Swieten: ut exhaustus sanguine langueat aliquamdiu æger, quam ut miserrime suffocetur.

Multi commendant sectionem venarum raninarum; sed monet Huxham (a): quod venæ sub lingua non satis sanguinis fundant in vehementi angina. Ideo e brachio prius debitam quantitatem sanguinis mittendam vult.

Et Illustr. van Swieten sectionem venarum raninarum disuadet: cum iis apertis

(a) Oper. Physic. Medic. Tom. I. pag. 212.

augeatur ſanguinis celeritas per arterias his venis reſpondentes, quæ externæ carotidis rami ſunt. Hinc videtur augeri debere ſanguinis motus per truncum carotidis externæ & omnes ejus ramos, maxime per illos, qui in venas apertas evacuantur. Cum ergo in graviſſimis anginis minimum tumoris inflammatorii augmentum ſæpe ſit lethale, periculum ſubeſt, ſi non prius in locis remotioribus larga venæ ſectio inſtituatur.

Monet Expertiſſimus Brambilla (a): ut venæ raninæ ſecundum longitudinem incidantur; ſecus hæmorrhagia vix compeſcenda oriri poteſt.

Revellendi ſcopo pediluvia & ubi morbus ex hæmorrhoidibus vel menſtruis ſubpreſſis, inſeſſus ſuper aquam calidam conveniunt.

Partes externæ, ut collum, cervix cataplasmatibus emollientibus (Nro. 43.) perpetuo involvendæ.

In

(a) Chirurgiſch-praktiſche Abhandlung von der Phlegoume, und ihren Ausgängen. Pag. 111.

In casu graviori leviter irritantia, ut semen sinapi, ad dictas partes in usum vocari possunt.

Pringle (a) externe oleum cum spiritu cornu cervi panno laneo adplicandum vult.

Ubi hæc levamen non ferunt, factis depletionibus, ad vesicantia brachiis, collo adponenda, recurrendum.

Commendat & Huxham cucurbitas cruentas ad cervicem.

Vapor infusi florum sambuci, addita modica aceti quantitate, ubi loca inflammata directe adluere valet, multum prodest.

Laudantur gargarismata ex syrupo mororum, decocto hordei cum melle rosaceo & sale prunellæ.

Præponit vero Pringle decoctum ex ficubus cum aqua & lacte addito pauco spiritu salis ammoniaci, per quem saliva adtenuatur & glandulæ ad liberiorem secretionem disponuntur. Timet enim, ne

(a) Observations on the diseases of the army. Pag. 142.

emunctoria a gargarismatibus cum acidis factis constringantur.

Ubi uvula inflammatorio, vel erysipelatoso tumore tumet, collutio mollis antiphlogistica subadstringens convenit (Nro. 55.).

Omnis gargarizatio levis esse debet: ne partes inflammatæ ruditer agitentur.

Si continuum & copiosum tenacis pituitæ stillicidium impediat: ut ore clauso ægri hæc continere nequeant; vel ubi malum profundius hæret: injectiones similium per parvum siphonem sæpius repetendæ sunt, ut partium inflammatarum exsiccatio & ariditas impediantur.

Secus ab injectionibus per syringam abstinendum: cum notante Celeberrimo Vogel (a) per ejusmodi stimulum inflammatio exasperetur.

Dum imminuta febre per venæ sectionem & apta remedia angina non levatur, nec signa suppurationis adsunt: scarificatio amyg-

(a) De cognosc. & curand. præcipuis corpor. human. adfect. pag. 240.

amygdalarum instituenda, ut defluente inde sanguine levetur æger.

In casibus desperatis, ubi collum externe tumet, incisio profunda in tumorem a quibusdam laudatur.

Si æger deglutire valet, antiphlogistica, alvum moventia, conveniunt: ut aqua laxativa Dispensatorii Viennensis, serum lactis tamarindinatum addito pauco nitro.

Pro potu serum lactis, emulsa (Nro. 7.); vel ubi ingens sitis vexat, acida mineralia, admodum diluta conveniunt, præcipue, ubi lingua, uvula &c. inflammantur; nam larynx ejusmodi meraca acida minime perferre valet.

Abstinendum a fortioribus acidis, aut salinis remediis: ne partes adfectæ, aut magis constringantur, aut irritentur.

Omnia potulenta tepide sumenda: ne a frigido potu inflammatio valida in gangrænam mutetur.

Non raro per materiam inflammatoriam, aut per pituitam fauces occupantem & eas irritantem vomendi conatus, nausea &c. oriuntur. Cavendum tunc ab emeticis; cum & hæc in angina gravi inflammatoria

vix locum habeant, etiamſi ſigna latentis in ventriculo ſaburræ adeſſent.

Clyſmata in angina inflammatoria neceſſaria ſunt: acriora vero (Nro. 28.) & ſæpius repetenda, ubi æger nihil deglutire valet, partim, ut revulſio fiat, partim, ut corpus depleatur.

In graviori aſperæ arteriæ & laryngis inflammatione ægri ſuffocantur, niſi bronchotome ſerventur, a qua abſtinendum, monente van Swieten, ubi pulſus mollis, debilis, intermittens, inæqualis eſt & extrema frigent: ne ab ignaris & malevolis mors huic operationi imputetur.

Vana eſt etiam, teſtante Huxhamo (a), hæc operatio pulmonibus quoque inflammatis: quod ex pectoris obpreſſione, ſumma anxietate, perpetua orthopnœa & ſuffocante quaſi tuſſicula patet.

Bronchotomia tantum inſtituenda tumore inflammatorio, vel circa laringem, vel in parte ſuperiori aſperæ arteriæ hærente: ut infra locum adfectum ſectio fieri poſſit.

Cogno-

(a) Tom. I. pag. 209.

Cognoſcimus ſedem mali ex ſenſu ægri: & licet aliquod circa hanc rem dubium maneret; præſtaret tamen, monente ſæpius laudato van Swieten, in angina certo lethali anceps experiri remedium, quam nullum.

Æger in loco parum calidiori poſt operationem decumbat: ne aër mox in pulmones veniens frigore ſuo magis noceat, cum minus caleſcat, ac ſi per & nares tranſiret.

Poſt bronchotomiam, dum ſecunda, aut tertia die ob vulnus iterum febris ſupervenit, gargarismata non conveniunt; quia per concuſſum aſperæ arteriæ gargarizando augeretur partium harum inflammatio.

Ut æger, qui deglutire non valet, nutriatur, clyſmata injicienda ſunt ex illis, quæ vix indigent actione viſcerum chylopoeticorum: ut ex lacte, vel jure carnium (Nro. 56.).

Ultimo paucum nitrum, vel aliquot guttulæ acidi mineralis addendæ ad putredinem præcavendam.

Per

Per ſimilia enemata corpus diutius ſuſtineri poſſe & experientia & ratio ſuadet; cum conſtet non tantum in inteſtinis tenuibus, ſed etiam in craſſis vaſa reabſorbentia & lactea diſperſa eſſe.

Enemata quinque, aut ſex uncias excedere non debent: ut ægri ea diutius retinere valeant.

Prius inteſtina craſſa clyſmate purgante eluenda ſunt in eundem ſcopum.

Si angina nec benigna reſolutione, nec critica evacuatione, aut metaſtaſi ſolvatur; nec inflammatio adeo vehemens ſit, ut gangræna ſequatur: malum in ſuppurationem abit.

Noſcitur id ex præcedentibus: manet febris cum ſenſu pulſationis; pulſus fit mollior; rubedo minuitur; dolor eſt obſcurior; tumor mollior cum puncto ut plurimum albo dein adparente.

Dum indicia ſuppurationis adſunt: vaporibus, collutoriis, cataplasmatibus emollientiſſimis (Nro. 43.) ſtrenue pergendum ad ſuppurationem promovendam & abſceſſum diſponendum, ut antrorſum rumpatur; nam hujus retrorſum verſus fauces ruptura

peri-

periculum facit, ne pus in glottidem labatur cum suffocationis discrimine.

Si abscessus sponte, quod sæpe fit, non rumpatur, pharyngotomo aperiendus est.

Tempus incertum est. Raro perfecta maturatio nonam diem excurrit; nonnunquam vero quinta, sexta die & citius, ob suffocationis metum, aperiendus.

Rumpitur utplurimum in os internum: nonnunquam, sed rarius, ut in tonsillis suppuratis, extrorsum in collo sic protuberat, ut ibi pertundi possit.

Quandoque abscessus non in parte validissime inflammata, sed in loco latente formatur: quod ex inquietudine; dolore faucium; horriplationibus, caloribus vagis; pulsu molliori, nonnunquam inæquali; sapore & odore ingrato noscitur.

Cogimur quandoque in angina suppuratoria, monente Illustr. van Swieten, instituere venæ sectionem, licet signa doceant abscessum jam formari; ne a tumore adfectarum partium tempore maturationis aucto, partes vicinas comprimendo, nova fiat inflammatio. Hinc corpus exhaurire

co-

cogimur: ut omnia vasa inanita collabantur & sic suffocatio impediatur.

Si suppuratio fiat, & ob magnum tumorem metus suffocationis sit, bronchotomia quoque instituenda.

Abscessu aperto, continuanda adhuc gangarismata, fotus emollientes: ut constanti suppuratione totum, quod resolvi non potest, consumatur.

Ad finem, ubi deglutitio & respiratio libera, febris abest, gargarismata (Nro. 57.) ex foliis rosarum rubrarum &c. conveniunt.

Nonnunquam pessima metastasis ad pectus fit.

Illustris van Swieten notat: quod nullus forte morbus inflammatorius ita volubilis sit, ac angina inflammatoria; dum subito evanescente dolore faucium stertor in pectore oritur, comitante quandoque dolore punctorio lateris respirationem impediente, quandoque absente omni dolore. Plurimi perierunt ex illis, quos tractavit, tertio, quarto, vel quinto die: licet adhibitis subito efficacissimis remediis. Pauci evaserunt & nonnisi cum multa molestia.

Pecto-

Pectori & collo talia adplicanda ſunt, quæ ſive irritando acribus ſtimulis, ſive minuendo atmoſphæræ preſſionem, impetum & copiam humorum verſus exteriora derivant.

In talibus metaſtaſibus mihi rariſſime occurrentibus emplaſtro veſicatorio parti æquali emplaſtri meliloti juncto univerſum fere pectus involvebam, decoctum (Nro. 58.) ex radice graminis, altææ, floribus ſambuci cum oxymelle ſcillitico & ſimplici edulcoratum largiter exhibebam.

Stertore præſente levem kermes mineralis doſin (Nro. 23.) ſæpius repetitam & pulſu parvo non duro paucum camphoræ (Nro. 18.) propinabam.

Ubi in angina inflammatoria dolor maximus, febris acutiſſima, neque inter duos, aut tres dies, ſigna reſolutionis, aut metaſtaſis adparent, deglutitio vero & reſpiratio facilior fit, cum facie cadaveroſa; frigore partium extremarum; pulſu parvo, debili, inæquali; fœtore ingente oris, gangræna vix medelam capiens ſequitur.

Mani-

Manibus acceſſu dato partes adfectæ ſcarificandæ. Gargarizatio ex ruta, ſcordio, cum melle roſarum (Nro. 59.) & pauco ſpiritu ſalis; clysmata ex cortice peruviano (Nro. 50.) conveniunt.

Qui ſæpius angina laborant, caveant a frigido aëre: collum, maxime noctu, tegant; ea, quæ humorum motum augent & ad fauces determinant, evitent, ut ſpirituoſa, vociferationem, cantum, &c.

Prophylactice hisce proſunt gangariſmata frigidiuſcula ex ſalvia, foliis roſarum rubrarum cum pauco liquore anodyno minerali (Nro. 60.).



ANGI-

ANGINA SCIRRHOSA.

Glandulæ partes respirationis & deglutitionis obsidentes, tumidæ, duræ & indolentes scirrhosam anginam faciunt.

In malo recente frictiones, aceti vapor & emplastra laudantur.

His non proficientibus Boerhaavius commendat eorum exstirpationem, aut corrosionem cum prudentia factam.

Van Swieten exstirpationem cultro perficiendam vult; cum rodentia & cauteria, nisi simul & semel destruere possint totum scirrhum, periculosa sint.

Ubi exstirpatio fieri nequit, cauteria tumoribus adplicata fuerunt magno quidem cum discrimine, non tamen semper funesto cum successu.

Mitiora tentanda: ut oleum tartari per deliquium; spiritus salis marini dilutus, cum hic putredini efficacissime resistat & adeo facile irritabilis ipsius cancri malignitas spiritum salis marini dilutum ferre videatur.

Hæc rodentia penicillo ex linteo carpto excepta per cannulam cavam ad locum adfectum deducuntur: ne vicinæ partes lædantur.

Hoc facto molliſſimis decoctis continuo ore detentis eſcharæ molliendæ, illisque deciduis rodentia denuo adplicanda. Sic alternatim pergendum, donec tollatur penitus tumor ſcirrhoſus.

Poſt ſingulas rodentium adplicationes attente luſtrandus locus, an in cancrum degenerare incipiat: tunc enim ab iis abſtinendum eſſe prudentia ſuadet.

Raro ſectio ſola ſufficit; ſed requiritur poſt eamdem inuſtio cauterio, ut Ruyſchius ſe experientia didiciſſe teſtatur.

Incurabilis angina eſt: ubi œſophagus aut in propria ſubſtantia ſcirrhoſus factus, vel a tumoribus ſcirrhoſis vicinis ſenſim anguſtatur & dein integre clauditur.

Prima hujus morbi ſigna ſunt: quod ſolidi cibi cum difficultate quadam deglutiantur; ægri leve quoddam obſtaculum ſentiant in œſophago; deglutita pauliſper morentur, antequam in ſtomachum delabantur. Malo provectio nil deglutire valent;

de-

deglutienda quandoque in œſophago ante obſtaculum dilatato hærent, & cum muco oris, faucium, evomuntur.

Credit Illuſtr. van Swieten malum hoc a ſpirituum fermentatorum ingurgigatione, a fervidorum potuum ſorbillatione oriri poſſe, dum liquida coagulantur, & ſolida corrugantur. Addit tamen: frequenter hunc morbum obſervatum fuiſſe, licet accurato examine nihil potuerit detegi, cui ejus origo tribui cum quadam veroſimilitudine poſſet.

Varia idem Illuſtris Auctor adhibuit remedia, ſed incaſſum: ut ſapones penetrabiliſſimos; emollientia; hydragoga fortiſſima; inunctiones mercuriales, emplaſtra ex gummi ferulaceis una cum mercurio, imo ipſam ſalivationem.

Tentari poteſt extractum cicutæ, gargariſmata ex infuſo ejusdem, ubi partem adfectam adluere valent. Vidi enim & viderunt mecum alii, uſu hujus remedii, quod a veteribus jam ſolvendi ſcopo externe adplicabatur, tumores ſcirrhoſos fuſos & ſanatos.

In initio mali utiles forte forent hæ pilulæ:

℞. Gumm. ammoniac. unc. ß.
extract. cicut. dr. jß.
kerm. mineral. gr. x.
M. exactiſſime & f. l. a. pil. gr. iij.
ſumat ter de die quinque ſuperbibendo vaſculum infuſi cicutæ.

Corpus nonnunquam terra foliata tartari & ſimilibus purgandum; ſed

Interdum docta plus valet arte malum.

Sunt & aliæ anginæ ſpecies, quæ licet ad inflammatorias non pertineant: tamen hoc loco pauca de iis notabo.



ANGI-

ANGINA PARALYTODEA.

Elapſo anno civem habui, cui poſt vertiginem prægreſſam manſit oculus ſiniſter turbidus admodum, palpebra ejusdem lateris difficilius elevatur & æger quamdam in deglutiendo difficultatem ſenſit. Nihil in faucibus conſpiciebatur. Metuebam ſubito paralyſim œſophagi. Infauſta prognoſis brevi confirmabatur; dum deglutitio poſt binas a principio morbi horas aboliebatur.

Omnia & a me & ab aliis præſtantiſſimis Medicis in conſilium vocatis, fruſtra exhibebantur: & ægre febre & deliriis levioribus accedentibus, miſerrime periit.

In ſimili angina ſuaſit olim Williſius: ut virgula e pinna cetacea parata, in ſummitate ſpongiam adfixam habens œſophago immitteretur ſtatim poſt cibum & potum adſumptum, ut via fiat, qua in ventriculum deſcendere poſſent. Hac methodo

ægrum per ſexdecim annos ſic pabulum quotidie ſumentem conſervavit adhuc viventem, dum hæc ſcriberet.

Poſt febres continuas & intermittentes longiores, evacuationibus juſto copioſioribus inſtitutis, angina naſcitur cum pallore, ſiccitate & tenuitate faucium, facie hippocratica, nervos & muſculos reſolutos notans, hinc mortem præſagiens.

Replentia, corroborantia indicantur; ſed raro proficua, dum ægri vix quidquam deglutire valent.

Injici poſſunt clyſmata nutrientia, roborantia, interpoſitis nonnunquam enematibus ex decocto corticis peruviani.

℞. Cortic. peruvian. unc. jß.
coq. per ½ horam in iij. juris carnium.
Nitr. pur. ſcrup. j.
Injiciantur ano omni bihor. unc. jv.

In angina paralytodea a nimia venere nucem indicam & nuces juglandes conditas cum ſyrupo cinnamomi utiliter quandoque adhi-

adhibuit amicus olim optimus Joſephus Baader, anterioris Auſtriæ Protomedicus & Facultatis Medicæ Friburgenſis Director.

ANGINA PUTRIDA.

Occurrebat mihi, licet rarius, angina putrida, qualem Huxhamus deſcribit.

Similis Viennam olim devaſtaſſe videtur, & licet ab hac dira lue nos immunes clementia ſupremi Numinis futuros ſperem; deſcribam tamen eamdem breviſſime: ut ſi forte occurreret, ſubito juſta ejus haberetur idea. Peſſimæ enim illæ febres putridæ, quæ graſſabantur anno 772 & 773, non raro deglutitione difficili adgrediebantur, anginam mentiebantur, quæ vomitoriis neglectis, venæ ſectionibus largioribus ab imperitis tractata, plurimos e medio tollebat.

Anginam putrido malignam, cujus accuratam ideam indefeſſus morborum epide-

micorum obſervator Huxhamus nobis exhibet, præcedebat æſtas humida, frigida, ſæpius procelloſa: & licet Junio, Julio, Auguſto fervidi admodum obſervarentur dies; atmoſphæra tamen gravis & humida erat.

His menſibus nullæ graſſabantur epidemiæ: dein morbus ſequebatur diriſſimus, qui incipiebat cum rigore; immobilitate colli; horrore & æſtu alternantibus; dolore capitis; plerumque cum faucium raucitate & ægritudine; ingenti præcordiorum obpreſſione; vomitu frequenti; alvi dejectionibus; pulſu quandoque celeri, parvo & tremulo, quandoque tardo & repente; urina pallida, tenui & cruda, nonnunquam profunde tincta, turbida ſero ſimili.

Morbus, qui interdiu levis adparebat, noctu admodum increſcebat; tonſillæ, parotides & glandulæ maxillares inflammatæ intumeſcebant, fauces floridiſſime rubentes maculis albidis, cinereis, hinc illinc diſperſis obſidebantur; cruſta ulcerum nonnunquam ſatis valide partes exedebat.

Cutis

Cutis calida, ſicca & aſpera; rariſſima in ſudorem proclivitas.

Ulcerum cruſtæ colorem induebant obſcuriorem & partes vicinæ in lividum vergebant, reſpiratio reddebatur difficilior. Accedebat ſtertor, vox rauca, ſimilis illi, quæ a venereis ulceribus in faucibus oritur. Ægri circa quartum, aut quintum diem magnam copiam purulenti muci, nonnunquam ſanguine tincti, quandoque materiam prorſus lividam exſcreabant. Nonnullis ex naribus valde inflammatis & excoriatis continuo deſtillabat materia ſanioſa omnia corrodens. Hujus ex ore & naribus effluxus ſubitanea ſubpreſſio plures jugulabat infantes.

A materia hac deglutita anus, nares, inteſtina excoriabantur; vehementia tormina & diarrhœa ſequebantur: ab ipſa hac acri materia trachea corrodebatur & membranæ ejus internæ fruſta, cum plurimo ſanguine & corrupta materia exſpuebantur: & ægroti per inſigne tempus langueſcentes, tabidi; aut a materia illa, ſubito ad pulmones delata, peripneumonicis ſimiles moriebantur. Eruptiones cutaneæ inſignes ad-

parebant coloris coccinei: ſæpius puſtulæ valde eminebant; ſæpius parvæ erant, melius tactu, quam viſu percipiendæ. Quibusdam ab eruptione anxietas, vomitus &c. minuebantur, maxime, ubi cita & mitis eruptio, & ubi copioſior cutis deſquammatio. Ubi vero exanthemata obſcurum, aut lividum colorem induebant, aut ſubito recedebant; urina limpida reddebatur; convulſiones, œdematoſus corporis tumor; inflatio colli cum facie cadaveroſa; ſingultus accedebant: mors præ foribus erat. Summus morbi gradus quinto, aut ſexto die, tardior adultioribus; criſis vix ante undecimum, aut duodecimum diem & tunc ſatis imperfecta.

Adultiores nonnulli ſecunda, aut tertia die moriebantur phrenitici, comatoſi, peripneumonici, materia ad encephalon, vel pulmones delata. Nonnulli a tuſſi laborioſa hæmoptoici, hectici, per varias hebdomadas langueſcentes, moriebantur.

Moderatus ſudor tertia, aut quarta die accidens; mutatio pulſus in firmum & æqualem; cruſtæ faucium mitiori ratione ſecedentes, fundo earum florido & puro adparente; reſpiratio lentior & liberior; oculis

lis reſtitutus vigor, fauſtam formabant prognoſin & morbus ſudore continuato, urina turbida, ſubſidente, farinoſa judicabatur cum expectoratione copioſa & larga cutis deſquammatione.

Teſtante Huxhamo in angina maligna venæ ſectio non juvat: imo, ubi pulſus plenus quidem, ſed repens, tardus & inæqualis, magna ſpirituum & virium proſtratio, perpetua anxietas, præcordiorum obpreſſio; torvi, languentes & quaſi lachrymantes oculi, morbum lethalem facit.

Plethoricis tamen, & ubi ſumma difficultas ſpirandi erat, in morbi principio parva profuit venæ ſectio; nocebat largior, maxime, ubi cruor non cohærebat.

Licet ſanguis primo emiſſus tenui, albida, aut plumbei coloris ſatis tenaci cute tegebatur; reliquus tamen ſub hac cruor virideſcens & molle quaſi gelatinæ genus conſtituebat cum craſſo, nigro craſſamento vix ullo modo cohærente.

Hinc patet: quam graviter errent illi, qui ob ſolam adparentem in ſanguine cruſtam venæ ſectionem, aut largiorem inſtituunt, aut eam repetunt.

In

In febre epidemica putrida, duobus annis peſſime in Auſtria graſſante, nonnulli ob ingentes capitis dolores pulſu nec pleniore nec fortiori phlebotomiam imperabant; ſed inde nullum levamen ſecutum fuit: imo ſanguine plus juſto educto, ſubſultus tendinum, deliria & convulſiones brevi accedebant.

Curam incipiebat Huxhamus, ubi alvus adſtricta, clyſmate cum lacte, ſaccharo & ſale.

Ubi dejectiones crebriores, pauca grana rhabarbari toſti cum ſpeciebus e ſcordio, decocto albo: & ſi diarrhœa erat profuſior, decoctum Fracaſtorii Fulleri, ad cochlear unum, aut alterum exhibitum, laudat Huxhamus.

Vomitus &c. præcipue in adultis lene emeticum poſcebat: inde faucium dolor minuebatur.

Infantibus cum oxymelle ſcillitico, eſſentia antimonii &c. emeſin excitavit: alias magna tenacis muci copia illos prorſus ſuffocabat.

Mox mixturam ex ſale abſinthii, ſale volatili cornu cervi cum ſucco limoniorum,

aqua

aqua alexiteria ſimplici præſcripſit, miſcebat pulverem contrajervæ cum parva myrrhæ & croci quantitate. Ubi febris inſigniter increſcebat, aliquot nitri grana & adultis unum aut alterum granum camphoræ addebat, ſi ferebant.

Secundo, aut tertio die præter priora tincturam corticis ſuam alexipharmacam propinabat, quam ſubſtantiæ præponit; cum magis exanthematum eruptionem promoveat, & multo minus ſudoris exortum impediat: qui ubi moderatus & æqualiter diffuſus tertio, quarto, quinto die, vel & tardius accedens critieus erat, quod urina antea tenuis, limpida, jam in concoctam cum largo ſedimento argillaceo vel pallide lateritio mutata, notabat.

Promovebat hunc ſudorem decocto hordei, avenæ &c. ſudor in ipſis & infantibus valde olebat & fœtidus erat.

Adultis vitrioli elixirium, aut tincturam corticis peruviani exhibuit, quod gratum antiputredinoſum & alexipharmacum eſt, conſtans infuſo ex malis aurantiis Hiſpanienſibus toſtis, vino rubro clarificato & aqua parato.

Garga-

Gargariſmata crebra ex decocto ficuum, florum roſarum rubrarum utilia erant.

Myrrham, mel in vino auſtero; mucilaginem ſeminum cydoniorum cum ſyrupo rubi idæi, paucum tinturæ myrrhæ per ſe & ſpiritum vitrioli interdum cochleatim ſumebant ægri, imprimis poſt gargariſma adplicatum.

Magnum & promptum levamen ferebat vapor ex floribus roſarum rubrarum, camomillæ, myrrha & camphora aceto coctis, ſpiritu adtractis.

Tumoribus colli, paroditum, cataplasmata acria & veſicatoria adplicabantur; abdomini tumido & tenſo, ubi urina ſubprimebatur, fomenta ex emollientibus & carminativis, in lacte & aqua coctis, cum ſale & ſaccharo adhibebat: alvum adſtrictam rhabarbaro, vel eluctuario lenitivo purgabat; ſignis coctionis prægreſſis corticem in ſubſtantia propinavit; abſtinuit vero, ubi abdomen valde tumidum, conſtipatum erat. Præfert decoctum corticis, quod multo minorem pectoris obpreſſionem faciat.

Licet

Licet in initio morbi non conveniſſent purgantia, ad finem tamen lenia cathartica neceſſaria erant: ut putrida colluvies ex inteſtinis evacuetur, ex qua febris protrahitur, appetitus proſternitur, abdomen tumidum fit & inſignes glandularum obſtructiones ſequuntur.

Ante mortem hæmorrhagiæ, fœtor cadaveroſus & totum corpus livore cadaveroſo inſigniter intumuit. Credit Huxhamus (a): hoc a majori dependere aëris copia in ſanguine ab inteſtino motu, calore & putredine exorta.

Notat & Tiſſot anginam epidemicam plus de putrido, quam inflammatorio participantem, in qua vomitoria laudat & venæ ſectiones damnat, niſi inflammatorii quid junctum ſit.

Gravida in ſextum menſem intolerabili capitis dolore corripiebatur cum levi deglutionis impedimento, pulſus erat celer, reſpiratio anxia, ſitis magna, appetitus proſtratus, alvus adſtricta, urina ſtraminea, facies

(a) Tom. III. pag. 122.

facies coloris lateritii, fauces inſpectæ ſolito plus rubebant. Apponebantur ſinapiſmi, ſanguis ad novem uncias detrahebatur, qui nec inflammatorius, nec diſſolutus erat; mixtura ex ſale mirabili Glauberi, ſyrupo ribeſiorum alvum fœtentem, ſed ſine levamine movebat. Brevi ſymptomata omnia increſcebant, fauces profunde rubræ maculas albeſcentes exhibuerunt, quæ brevi gangrænoſæ fiebant; accedebat ſtrepitus inter loquendum & tuſſiendum, ſitis ingens; ut ſpatio decem horarum quadraginta libras potulentorum hauriret. Quandoque delirabat ægra, quandoque comatoſa decubuit; demum tuſſiendo magnas portiones membranaceas carnis emortuæ eſcharis ſimiles, materia puri analoga obductas eduxit; ad veſperas augebantur omnia ſymptomata, calor ad tactum urens, anxietas ſumma, animi deliquia, ſtrangulationis ſenſus circa laryngem, pulſus debilis, celerrimus, miro modo vacillans & reſpirationis difficultas mortem omni momento minabantur.

Ob irritabilitatem ægræ, calorem ingentem veſicantia non apponebantur, quæ in ſimili morbo merito improbat Wintringham,

ham, nec ferre poterat decumbens gargariſmata, aut collutoria antiſeptica, quæ ſuaſi. In hoc ancipiti ſtatu intra nichtemerum tres uncias cum dimidia corticis peruviani in decocto per plures dies ſumpſit; præterea hauſit largiter ſpiritum vitrioli cum ſyrupo althææ aqua dilutum; in maxima debilitate aqua meliſſæ cum ſpiritu cornu cervi ſuccinato propinabatur. His effectum eſt, ut ſymptomata ſucceſſive minuerentur; continuavit tamen longo tempore febricula lenta, quæ demum diuturno corticis uſui ceſſit & ægra juſto tempore ſanam enixa eſt prolem, quæ cum matre hodiedum integra gaudet ſanitate.

Confirmantur his ea, quæ in capitibus de febribus notavi (a).

Nempe occurrere febres putridas cum diatheſi phlogiſtica: in his venæ ſectionem parciorem tamen, ac in febre inflammatoria convenire; ſanguinis miſſionem vero nocere in putrida ſine ſtatu inflammatorio.

Patet

(a) Tom. III. pag. 53.

Patet & ex his ſumma vomitoriorum neceſſitas, ubi putridum in ventriculo hæret.

Monui quoque extractum aut decoctum corticis non raro præferendum eſſe ſubſtantiæ ejusdem.

Confirmatur quoque exanthemata nonnunquam critica eſſe: dum ceſſantibus, vel ſaltem plurimum imminutis ſymptomatibus fiunt: hinc & ſtimulantibus, ut camphoræ, ſerpentariæ quandoque locum eſſe.

Damnat quidem Huxhamus ſalium volatilium alcalinorum uſum & credit inde oleum camino addi. Obſervavi tamen ſummam eorum utilitatem; ubi pulſus tremulus, inæqualis, intermittens & mollis erat.

Spiritus cornu cervi efficaciam in febre - putrido maligna jam longe ante Anglos Medici noſtri in Styria obſervarunt (a).

ANGINA.

(a) Ephemerid. natur. curioſor. Ann. I. Decur. III. Anno 1694.

ANGINA AQUOSA.

Angina aquoſa vel œdematoſa eſt: dum a tumore albo, aquoſo, frigido, absque inflammationis comitantis ſignis deglutitio, vel reſpiratio impeditur.

Leucophlegmatici, pallidi, debiles hac anginæ ſpecie corripiuntur. Uvula tunc plerumque elongata pellucida fere & non raro tonſillæ aggeſto humore aquoſo turgent.

Dolor magnus non obſervatur, niſi forte a diſtractione partium per hos tumores facta.

Agitur enim hic tantum de lymphaticis tumoribus, qui in cavis naturalibus faucium ab aggeſtione & accumulatione liquidi dilatatis hærent.

Tales in tunica celluloſa muſculos horumque fibras inveſtiente, atque in folliculis ſecretoriis fieri poſſunt.

Omnia; quæ exitum lymphæ liberum impediunt, anginam hanc inducere valent, ut compreſſio venarum ab atheromate, ſteatomate & ſimilibus tumoribus.

Obſtructio nata in ipſo folliculo glandulæ per pituitam, calculum, gypſeam materiem; frigus ſubito admiſſum anginam ſimilem generare poteſt, dum meatibus excretoriis a frigore conſtrictis per vaſa adferentia tutius recondita liquidum adducitur.

Sed & ſola nimis debilis humorum circumactio, ut in chloroticis anginæ hujus cauſa eſt.

Minus diſcrimen ab aquoſa, quam ab inflammatoria angina. Prognoſis tamen differt ratione cauſæ & loci adfecti.

Facilior enim cura, ubi a pituita obſtructa emiſſaria ſunt, quam a calculo: & majus periculum, ſi tales tumores circa laryngem hæreant, quam ſi pharyngem, aut tonſillas occupent.

Cura varia eſt. Cavendum: ne uvula inflammata pro relaxata habeatur & alumine aut vitriolo tangatur.

Nimium

Nimium elongata linguæ incubens polline piperis inſpergi poteſt, aut adſtringentia gargarismata adhibenda ſunt. His nihil proficientibus amputanda eſt, & hæmorrhagia ſi fiat ſtiptico mediante ſpatula admoto ſiſtenda.

Popularis enim cura per ſuſpenſionem corporis, elevato capite ægri, non abs periculo eſt, notante Clariſſimo Zacharia Vogel (a).

Ubi ſuffocationis metus, cauſticis, aut melius ſcalpello humoribus aquoſis congeſtis via concilianda.

Antea autem talia tentanda, quæ aquoſam colluviem de corpore diſſipant: ut calor lecti, medicamenta aromatica, ſudorifera (Nro. 61.) ex ſaſſafras, lignis ſantalis, ariſtolochia &c.; diuretica ex junipero, millepedibus, ſcilla (Nro. 62.); fortiora purgantia (Nro. 63.) ex jalappa, ſcammonio, ut corpus ſubito depleatur, ſic bibulæ venæ cito ſæpe reſorbent effu-

(a) Beobachtungen XXXI. pag. 213.

ſam in cavis lympham depletis vaſis majoribus.

Commendantur quoque ea, quæ a locis adfectis lympham derivant: talia ſunt veſicantia collo, nuchæ, pone aures adplicata; apophlegmatizonta ex maſtiche, cera, radice pyretri, pipere, zingibere (Nro. 64.).

Iis, qui ſæpius angina tali laborarunt, proderit fumus tabaci & aqua vitæ ore voluta.

Cavendum dein victu exſiccante, calefaciente, motu corporis: ne malum jam fugatum redeat.

Ubi debilior humorum circumactio anginam aquoſam facit, ea conveniunt, quæ circulum eorum augent, magis tamen prophylactice, quam ad curam morbi præſentis & ſimul talia, quæ viſcidum incidunt & adtenuant: ut pilulæ ex gummi ammoniaco, extracto martis, extracto enulæ (Nro. 65.). Quibus vinoſa arrident, vinum medicatum ex cortice peruviano, limatura martis &c. propinandum (Nro. 37.).

Motus, frictiones commendandæ.

Otium, aquoſa, pinguia, legumina, farinoſa evitanda.

CAPUT

CAPUT XVI.

DE

PLEURITIDE.

Dolor punctorius ad inſpirationum auctus calore, tuſſi, pulſu duro & celeri ſtipatus pleuritis dicitur: licet non raro pulſus parvus & mollis tangatur, dum ob acerbitatem doloris in morbo vehementiori vix inſpirare audent ægri.

Horror & laſſitudo quandoque per unum aut alterum diem pleuritidem præcedunt.

Vix æſtate occurrit, frequentius hyeme, frequentiſſime vere.

Crebrior eſt adultis, rarior ſenibus, rariſſima infantibus.

Subjectis denſis, gracilibus, ſanguineis, exercitatis familiarior.

Teſtante Trillero rarius feminæ inde corripiuntur, ſed pejus adficiuntur, ac viri.

Pleuritis vernalis ſæpius epidemica eſt, in regionibus montanis, frigidis, aquiloni magis expoſitis endemica.

Dividitur in idiopathicam, quæ mox thoracem adgreditur & ſympathicam, quæ ex aliis morbis, ut arthritide &c. oritur.

Diſtinguitur in humidam, quæ cum ſputis, & ſiccam, quæ absque iis occurrit.

Alia pleuram, huicque adnexam cellulosam telam potius occupat; alia partes integumentis viciniores, v. g. muſculos intercoſtales & tunicam adipoſam magis adficit: illam internam veram, hanc externam ſpuriam vocant.

In hac ultima ſymptomata mitiora ſunt; & pulſus minus durus, ac tenſus deprehenditur; dolor quoque ab adtactu & decubitu in locum adfectum augetur; & non raro in parte dolente tumor cum rubore conſpicitur.

De ſede mali diſputant auctores.

Multi viri celeberrimi pleuram indolentem credunt: hinc morbum, quem pleuritidem nominamus, non in ea, ſed in pulmonibus locum habere exiſtimant.

Idem

Idem jam elapſo ſæculo 1646. Joannes Manelphus in decertatione de parte adfecta pleuritidis docuit.

Veroſimilis eſt ſententia: quod pleuritis oriatur quandoque a pleura, tunica pinguedinoſa ipſi contigua & muſculis incumbentibus; ſæpe a ſola externa pulmonum ſuperficie; ſæpius ab omnibus his ſimul inflammatis.

Nam ſectiones cadaverum nunc ſolam pleuram inflammatam, ſuppuratam & ſphacelo corruptam; nunc ſolos muſculos intercoſtales; nunc has partes omnes ſimul inflammatas exhibuerunt (a).

Ipſe Celeberrimus Morgagnius, qui pleuram inflammatam ſine dolore, aut ſine dolore pungente eſſe docet, caſum juvenis refert, qui in vita pectoris dolore laborans poſt mortem levem inflammationem pleuræ exhibuit.

Illuſtris Hallerus animadvertit (b), quod pulmones nec multos, nec magnos nervos

(a) Monro Account of the diſeaſes in the Britiſch militari hoſpitals. p. 123.

(b) Phiſiol. maj. Tom. III. p. 170.

habeant: quod in vivis animalibus in frusta discerpi possint, absque quod se multum moveant: & quod magnæ suppurationes pulmonum sine febre & doloribus observatæ fuerint.

Neque nimis sollicitum de loco esse oportet, cum cura eadem sit & ii, qui sedem pleuritidis in pulmone statuunt, dolorem vehementem non ab interna eorum substantia, sed ab extima membrana inflammata, quæ continuatio pleuræ est, derivent.

Certe sæpe & pulmo & pleura simul inflammantnr, atque tunc morbus pleuroperipneumonia audit.

Notavit Huxham (a): quod longe frequentius, quam vulgo putatur, invadant una, aut invalescenti pleuritidi peripneumonia quoque accedat.

Causæ pleuritidis sunt ea omnia, quæ inflammationem producere & ad has partes determinare valent: ut vasa rigida, humores densi; aër frigidus æstuanti corpori admissus, transpiratio impedita; spirituosorum

(a) Tom. I. pag. 89.

rum abusus; hæmorrhagiæ subpressæ; potus glaciatus, cum sanguis inde densetur & œsophagus in suo decursu truncis intercostalium arteriarum quarumdam satis propinquus sit.

Nonnulli, qui aliquoties pleuritide laborarunt, ob leviores etiam causas crebro iterum hoc morbo corripiuntur. In similium cadaveribus vasa intercostalia angustiora fuerunt, quandoque vena azygos mox sub aorta sita erat; hinc forte ab hac nimis comprimebatur.

Diagnosis morbi, ut monui, habetur ex dolore punctorio in inspiratione aucto cum tussi, pulsu duro & celeri.

Dolor utplurimum latera occupat, nonnunquam ad dorsum & scapulas pertingit.

Baglivius pleuritidum occultarum meminit, quas sequenti methodo magno ægrotantium commodo detexit.

Jussit eos in dextrum vel sinistrum latus decumbere, decumbentibus imperabat, ut fortiter inspirent & tussiant, tuncque petebat ab illis, an dolorem, aut gravedinem persentiant: quod si adfirmarent, res manifesta erat.

Notan-

Notandum, quod obesis mollior & senibus durior pulsus sit.

Necesse quoque, ut arteria utriusque manus exploretur. Sic Celeberrimus Zimmermannus minuti spatio in parte dextra quinquaginta quinque, in sinistra nonaginta duos ictus observavit. Pulsus lateris dextri admodum debilis, sinistri fortis erat (a).

Observavit Celeberrimus Pringle (b): quod in hystericis & hypochondriacis ab extensione intestini coli per flatus aut excrementa dolor oriatur potissimum a pectore dorsum, vel ab una alteram petens partem, respirationem impediens, cum tussi crebra & parva. Abest tamen crusta lardacea & pulsus durities.

Commendat similibus laxantia carminativa, fomenta & vesicantia. Pessime vero venæ sectionem administrari monet.

Prognosis est diversa ratione subjecti, sexus, ætatis symptomatum.

Quo

(a) Von der Erfah. in der Arzneykunst 1 Thl. p. 357.
(b) Pag. 191.

Quo plura loca inflammantur, eo periculoſior morbus.

Pleuritis in principio mitis, dein valde fortis, utplurimum lethalis.

Pleuritis recidiva vix curanda.

Ex abuſu vini & ſpirituum fermentatorum nata ſæpe jam tertio aut quarto die lethalis obſervata fuit.

Corpora denſa & exercitata citius pereunt, quam mediocria teſte Hippocrate.

In gravidis majus diſcrimen; tum quia ægrius venæ ſectionem ferunt, tum quia iis diaphragma minus deſcendit, hinc pectus magis dilatare debent. Non tamen abſolute lethalis eſt, ut Hippocrates pronunciavit.

Trillerus obſervavit ſiniſtri lateris pleuritidem rariorem eſſe, ſed diuturniorem & graviorem.

Sudor copioſus in pleuritide ante remiſſionem doloris periculoſiſſimus.

Difficilius utplurimum ſanatur ſicca, ac humida.

Pleuritis ut reliqui morbi graves aut in ſanitatem, aut in morbum alium, aut in mortem abit.

Si

Si humores blandi, inflammatio non admodum magna, morbus recens: benigna resolutione solvitur.

Evacuationes criticæ per sputa, alvum hæmorrhagiam narium fiunt. Urina cum sedimento potius crisin comitatur.

Oportet, ut hæmorrhagia narium intra primum & quintum diem accidat. Serior, licet utilis sit, morbum protrahit.

Hæmorrhoides vix criticæ sunt, nisi ab iis subpressis pleuritis oriatur.

Dolor humeri, scapulæ, cum levamine manifesto doloris pleuritici morbum critice solvi notat. Certe nullum & gravissime decumbentem, cui id accidit, obiisse vidi.

Miliaria moderato regimine prodeuntia morbum quidem levant, crisin vero, ut Allonius voluit, non absolvunt, nisi in pleuritide catarrhosa.

Si inflammatio non admodum valida, ut gangræna sequatur; vehementior tamen, ut aut benigna resolutione, aut critica evacuatione tollatur: in suppurationem abit, cujus signa & diversi exitus in sequentibus dicentur.

Mor-

Morte terminatur pleuritis, dum aut ægri suffocantur, cum ob doloris acerbitatem vix respirent; vel gangræna supervenit, quæ metuenda, ubi dolor subito cessat, spirandi tamen difficultas & pectoris obpressio adhuc continuat, vel increscit.

Nonnunquam vehemens gangræna inducitur, dum plebs flatus causam morbi supponens spirituosa exhibet.

Pulsus debilissimus; respiratio frigida; extremorum Algor, lethalia sunt. Hippocrates notavit; quod pleuritici pereant, quibus strepitus multus in pectore est, facies tristis, oculi icteritii, ac caliginosi.

Cura a venæ sectione larga ex vulnere amplo inchoanda; cum observata doceant, phlebotomiam unicam ad uncias quatuordecim, vel sexdecim institutam plus efficere, quam crebriores & parciores.

Consideranda tamen temperamentum, vires, ætas, consuetudo, vita prægressa &c. vid. capit. de febr.

Pleuritis symptomatica, ut ex arthritide, vel quæ in febribus a calidiori regimine oritur, non adeo largam requirit sanguinis

guinis missionem, ut & ea, quæ tempestate calida, ac humida occurrit.

Nec catameniorum, aut lochiorum fluxus venæ sectionem prohibent: si pulsus plenus & durus, respiratio difficilis, dolor in inspiratione acerbus.

Gravidæ tamen repetitam magis, quam largam ferunt venæ sectionem; sed in his plus respirationi, quam pulsui fidendum est.

In validiori pleuritide sanguis ad prima animi deliquii signa mittendus, quæ sunt: pallor in oculis, vultu, sudoris guttulæ in fronte, pulsus languidus. Vitandum autem animi deliquium; ne monente optime Aretæo, peripneumonia lethalis pleuritidi succedat.

Excipi possunt quædam epidemiæ, in quibus, ut Cleghorn observavit (a), quandoque bono cum successu phlebotomia ad animi deliquium usque celebratur.

Aegri

(a) Observations on the diseases in Minorca. pag. 269.

Aegri ſupine jacentes largiorem venæ ſectionem facilius ſine animi deliquio ferunt, quam ſedentes.

Cum ob acerbitatem doloris vix inſpirare audeant, acetum calidum inter ſanguinis miſſionem naribus ſubponendum, ut invitis etiam tuſſis excitetur.

Dolor poſt primam venæ ſectionem recrudeſcens eam repetendam indicat.

Tempus, quo venæ ſectio adhuc celebranda, incertum eſt; quamdiu enim dolor & febris urgent, neque critica evacuatio vel incipiens ſuppuratio adeſt, ſanguis mittendus.

Prima efficacior in brachio lateris adfecti obſervatur, altera in parte oppoſita, tertia in pede adminiſtrari poteſt.

Non autem ob omnem dolorem ſanguis mittendus, ne aut morbi chronici, aut hydrops ſuccedant, vel mors ſequatur; cum febris requiratur ad criſin perficiendam, obſtruens reſolvendum & extra corpus excernendum.

Multorum animis error inſedit cruſtam lardaceam in ſanguine adparentem

ejus detractionem poſcere ; ſed huic ſoli fidendum non eſt.

Videmus nonnunquam primum ſanguinem corio tectum , ſecundum , tertium, quartum eo carere, quintum iterum cruſta denſiſſima obductum eſſe. Huxhamus in paraphrenitide ſanguinem corio obductum poſt centum uncias detractas vidit (a).

Van Swieten merito obſcuram pellis hujus originem dicit (b).

Pleuritis utplurimum pejor, ſi cruſta inflammatoria abſit.

Laudatur frictio partis adfectæ inter ſanguinis miſſionem; ſed hæc in pleuritide ſpuria plus prodeſſe videtur, quam in vera.

Venæ ſectione inſtituta pars dolens fovenda pannis laneis ſolutione ex uncia dimidia ſaponis veneti cum libra dimidia lactis & aquæ facta imbutis.

Utiliter & cataplaſmata ex ſpeciebus emollientibus & ſapone in lacte coctis in uſum vocantur.

Male

(a) Tom. I pag. 304.
(b) Tom. II. pag. 651.

Male commendantur vesicæ lacte, aut decocto emolliente repletæ, cum ab iis, observante Celeberrimo Baldinger (a), tantum calor siccus & pondus augeatut.

Cavendum a fomentis & catapsmatibus, nimis calidis. Vidit inde Sarcone doloris augmentum (b).

Noctu pars dolens unguento althææ calido inungenda & dein emplastrum de labdano aut meliloto imponendum.

Ubi post sanguinis missiones & fomenta dolor acerbus continuat, emplastrum vesicatorium æquali portioni meliloti mixtum lateri dolenti adplicandum. Pulsu dein insurgente sanguis denuo mittendus.

Alvus segnis clysmate emolliente sollicitanda.

Medicamenta interna indicantur, quæ quin motum humorum augeant, solvunt & naturam disponunt, ut per varias vias crisin instituere valeat.

(a) Von den Krankheiten einer Armee S. 167.
(b) Geschichte der epidemischen Krankheit in Neapel. Erst. Theil. S. 139.

Efficacissima est mixtura ex nitro, rob sambuci, oxymelle simplici, aqua florum sambuci parata, addito pauco aceto (Nro. 8.)

Acida enim in pleuritide minus conveniunt, cum tussis ab iis excitetur.

Rob sambuci debet esse sanguineum, sapidum, acidulum, gratum. Verum monente Clarissimo Crantz raro sedulo in officinis paratur, sed nigrum, adustum & empyreumaticum habetur.

Usui prioris mixturæ & interponi potest decoctum ex radice graminis, althææ, melle edulcoratum (Nro. 66.)

Pro potu convenit decoctum hordei cum melle.

Ridicula sunt absorbentia exempli gratia pulvis pleuriticus Augustanorum, quæ forte spicula pungentia, ut Helmontius credidit, obtundere deberent. Hinc miror, quod Clarissimus Trillerus in absolutissimo de pleuritide tractatu (a) lapides cancrorum præscribat.

Nec

(a) Pag. 409.

Nec in hoc morbo mixturæ Hoffmannianæ locus eſt, quæ adeo frequenter & funeſto cum effectu in inflammationibus exhibetur, ob rationes in capite de febr. putrida jam adductas.

In pleuritide & peripneumonia a vi externa arnica interne (Nro. 67.) & externe (Nro. 68.) adhiberi poteſt, quam Berolinenſes ad diffuſiones & ſtagnationes ſanguinis extra ſua vaſa factas reſolvendas, diſcutiendas & per diureſin, vel diaphoreſin evacuandas commendant (a).

Monent, quod ægri poſt ejus uſum ſe pejus valere conquerantur; ſed id pro certo indicio habent exiſtentis alicubi ſtaſcos ſanguinis his motibus diſſolvendi, ac reſolvendi.

A leniori doſi hujus remedii incipiendum, ne vomitum in hoc morbo periculoſum excitet.

Forte arnica foliis lanceolatis hominibus robuſtioris naturæ magis convenit,

(a) Actor. Berolin. Decur. I. volum. I. pag. 58. Anno 1722.

quam illa, quæ folia ovata profert: quia in rupeſtribus locis ſuccum magis acrem & minus aquoſum trahit.

Clariſſimo Gmelin viſum eſt ſibiricam plantam aliquanto vehementius effectum edere, quod in Germanis in Sibiria morantibus non raro experientia comprobatum vidit (a).

In initio morbi nonnunquam conatus vomendi notatur; cavendum tamen ab emetico.

Vitanda quoque in acerba pleuritide ſunt opiata, quæ Huxham (b) in violentia doloris poſt ſanguinis detractionem commendavit. Non raro enim dolori gangræna ſuccedit & evigilans e ſomno æger ſæpe ſubito moritur.

Optimi practici teſtantur, quod opiata caput tentent, febrilem æſtum augeant reſpirationem difficiliorem & citatiorem reddant & pectoris purgationem impediant. Illuſtris van Swieten anodyna fortiora damnat & ſolum leviora ſuadet, ut infuſum florum

(a) Flora Sibirica Tom. II. p. 153. Petropoli 1749.
(b) Tom. II. pag. 228.

florum papaveris rhœados. Vult autem: ne adeo magna copia pro dosi sumantur, sed omni media hora unciæ tres tepide hauriantur.

Concedi possunt aliquot drachmæ seminum papaveris, si amygdalis in emulsione mixtæ, quod sæpius in consiliis fit, ut anonydum proponantur; cum nulla in his seminibus vis narcotica observetur.

Occurrunt in Nosocomiis ægri, quorum pulsus jam ex pleno & duro in parvum mutatus est.

His pessime noceret venæ sectio. Celsus monuit sanguinis missionem remedium magni & recentis doloris esse, serum vero auxilium, si vetustior casus.

Vesicantia his satis fortia ad locum dolentem, dein ad artus adplicanda. Emplastro vesicatorio camphora misceri potest, tam ob stimulum augendum, quam gangrænam præcavendam.

In similibus ægris, præcipue ubi subsultus tendinum, pulsus tremulus, inæqualis, a nitro abstinendum; sed decoctum ex althæa, floribus sambuci cum moderata camphoræ dosi propinandum (Nro. 18.).

Utplurimum decem, quindecim grana sufficiebant, raro ad viginti nicthemero adscendendum erat.

Sed & ab hac dosi in numerosissimis qui anno 1774 pleuritide decumbebant, calorem vehementiorem sicciorem, respirationem laboriosiorem, ruborem faciei intensiorem, deliria fortiora & cetera symptomata, quæ phrenitidis futuræ metum faciebant, cum multis aliis Medicis præsentibus in Nosocomio succedere vidi.

In his a camphora integre abstinendum. Ipsi enim hujus remedii fautores id nocuum declarant, ubi humores nimia tenacitate ad inflammatoriam vergente peccant, aut ubi anxietates sæpius redeuntes & plerumque cito disparentes calores sequuntur.

Notavi superius pleuritidem quandoque per sputum judicari.

Quod dolores lenit, optimum est.

Bene distinguendum a muco catarrhoso, qui sæpe maxima quantitate sine levamine prodit, cum non evacuet materiem morbosam.

Non-

Nonnulli Medici negant crisin in pleura inflammata per sputa fieri, cum non credant viam inde patere. Verum & ii vix explicabunt, quomodo eadem crisis in inflammatione musculorum intercostalium nascatur.

Observatis constat pulmonem contiguos sibi humores imbibere, illosque tussi rejicere. Galenus notavit mulsam in thoracis cavum injectam ex pulmone exspui.

Optime animadvertit Clarissimus Selle (a): quod ubi pleura pulmonibus adnexa est, materies cocta facilius in pulmones ruere possit.

Fusius demonstrat Illustr. van Swieten (b), quomodo & qua via sputa in pleuritide morbum solvere possint.

Solis sputis fidendum non est.

Sputa cruenta sincera, venæ sectionem petunt: hæc vero ob ea sanguine striata instituta in summum periculum ægrum conjiceret.

(a) Pag. 118.
(b) Tom. III. p. 28.

Multi in Nosocomio occurrebant sputa cocta, sed parva quantitate ejicientes, quibus tamen ob vehementiam febris & doloris phlebotomiam ad quinque vel sex uncias summo cum successu institui.

Si sputa cum facilitate prodeunt, nihil movendum, sed locus est remediis emollientibus, leniter solventibus, ut decocto ex radice graminis, althææ, verbasco, melle edulcorato. Decoctum hordei cum oxymelle largiter hauriendum.

Linctus ex oxymelle cum syrupo althææ paratus, per parva cochlearia sumptus, utilis est.

Oleosa vix arrident, cum in debiliore ventriculo facile rancescentia febrim incendant. Celeberrimus Zimmermannus oleum, ubi digestio læsa, ut summe nocuum damnat (a).

Concedenda forte iis, qui fibra admodum rigida gaudent, neque biliosi quidquam in primis viis habent. Hinc linctus ex oleo amygdalino, vel spermate ceti parari potest (Nro. 69.).

Sedu-

(a) Zweyter Theil S. 259.

Sedulo ad ſperma ceti adtendendum, cum ſæpiſſime rancidum ſit.

Si ſputa tenacia, uncia una aut altera oxymellis ſcillitici prioribus decoctis utiliter additur.

Illud vero in principio morbi exhibere minus tutum eſt, cum tuſſim augeat, partesque magis irritet.

Si levamen inde non ſufficiens, habeatur decoctum ex binis partibus radicis althææ & parte una hyſſopi paratum, oxymelle ſcillitico, ſyrupo althææ aut hyſſopi edulcoratum præcipue in ſubjectis annoſioribus prodeſt.

Kermes minerale ad granum unum vel duo omni bihorio, trihorio, aut quadrihorio exhibendum, ubi ex uſu antea dictorum ſputa minus libera.

Vomitus, aut diarrhœa inde ſequens, maſſa pilularum de ſtyrace aut de cynogloſſo compeſcendus, ut in cap. de febr. ardent. dictum (a).

Vidi

(a) Pag. 40.

Vidi nonnunquam ab imperitis in arte Kermes minerale in principio morbi, antequam materies cocta esset, propinari; sed inflammatio, tussis, calor, obpressio pectoris pessime augebantur.

In senibus ubi febris jam mitis & sputa admodum glutinosa, aliquando majorem effectum observavi a gummi ammoniaco vitello ovi aut aceto scillitico soluto (Nro. 70.) quam a Kermes minerali.

Continuandus tamen decoctorum prius notatorum usus. Ubi sputa critica educuntur non convenit alvum per diem unum aut alterum silentem remediis movere, nisi abdomen inflatum & tumidulum notetur.

Si sputa in pleuritide subprimantur: ægri pessime anguntur & suffocationis periculum imminet; quare omni opera studendum est, ut iterum educantur.

Varia auxilia pro ratione causæ & symptomatum indicantur.

Si ab aëre frigidiori, vel spirituosorum abusu, si nova iterum incendatur febris & pulsus durus ac plenus esset: venæ sectio celebranda. Dein vesicantia suris

adpo-

adponenda & decoctum emolliens cum floribus ſambuci ſtrenue hauriendum.

Pulſu vero debili inæquali præter decoctum emolliens cum floribus ſambuci mox ad veſicantia & camphoram recurrendum; cui ultimæ, ſi aut ſputa glutinoſa prodire incipiant, aut levis in pectore ſtrepitus notetur (a lethali illo ſtertore diſtinguendus) Kermes minerale jungendum (Nro. 71.).

Dum ſputa ex animi pathematibus ſubpreſſa, neque magnus calor, aut pulſus incrementum oriatur, præter tepida paregoricum per vices ſumendum.

Diarrhœa ſputorum excretionem impediens compeſcenda.

Alvi fluxus, niſi bilioſi quidquam ſimul in primis viis hæreat, in initio pleuritidis periculoſus eſt; cum materies morbi nondum cocta ſit.

Opportuno accedens tempore aliquando morbum ſolvit.

Critica talis alvus ſimilis fere eſt ſputis criticis & relinquenda.

Abſti-

Abſtinendum a nitro. Decocto emolliente pergendum, quod ſyrupo althææ edulcorandum; cum nonnullis a melle alvus ſolvatur.

Diarrhœam nimiam pulſus debilis & vires fractæ docent. Hæc bolo armena, gummi arabico, decocto orchidis minuenda, ut in capite de febr. ardent. monui (a).

Urgente neceſſitate ad opium, ſed cum prudentia recurrendum. Alvus enim in pleuritide, monente Huxhamo (b), ita moderanda, ne ab ea adſtricta nimis augeatur febris: neque nimis fuſa permitti debet, ne vires & ſpiritus deficiant.

Notavi ſuperius urinam copioſam, craſſam, ſtranguriosam, ſubrubram, cum albo ſedimine morbum aut levare aut levaminis ſignum eſſe.

Occurrebat tamen mihi quandoque nimium urinæ profluvium, ita ut adſumptum potum longiſſime ſuperaret. Urina, quæ excernebatur, vix tincta erat, ſed limpida

&

(a) Pag. 42.
(b) Tom. II. pag. 225.

& ægri ſumme debilitabantur. Cavebam a nitro, decoctum dabam ex verbaſco cum floribus ſambuci, rhœados, diacodio edulcoratum. Urgentiori malo veſicantia pedibus & brachio adponebantur.

Ad ſputa tenacia & craſſa promovenda oxymellis ſcillitici loco infuſum hyſſopi cum ſyrupo ejusdem præſcribebatur.

In magna debilitate decoctum ex cortice peruviano vel cum verbaſco, vel cum hyſſopo, pro diverſitate ſputorum, feliciter exhibebatur.

His non juvantibus opium per epicraſin propinabatur.

Ægri in lecto plumis repletiſſimo decumbentes ſuper culcitram ponebantur; cavendo tamen frigidioris aëris acceſſum.

Si in pleuritide tumor ad aures vel crura oriatur: ea adplicanda, quæ de parotidibus in capite febr. ard. dicta fuerunt (a).

Erant

(a) Pag. 38. 39.

Erant anno 1773. multi pleuritici cum parotidibus. Adhibebantur incassum emollientia cum stimulantibus & irritantibus: tumor enim mole perpetuo augebatur, demum eodem modo tonsillæ adficiebantur, ut vicina comprimendo stertorem, respirationem difficillimam, soporem & mortem crearent.

Cum successu his ad parotides tumentes emplastrum ex quatuor partibus de ammoniaco & quinta vesicatorii adplicabatur imponendo desuper cataplasmata emollientia. Hac methodo tumor successive minuebatur, paucis suppurabatur, plurimis resolvebatur, ac crisis per sputa & sudorem sequebatur, quæ levissima camphoræ & Kermes mineralis dosi, decocto ex althæa & hyssopo cum oxymelle simplici & scillitico edulcorato promovebatur.

Ubi dolor scapulas, aut humerum petit: partes hæ fricandæ sunt & dein emplastro v. g. de labdano tegendæ.

Quandoque in pleuriticis maxime post venæ sectiones largiores institutas (licet alvus aut sputa critica sint) ægri valde debiles fiunt; pulsus celer & parvus, febris

certo

certo tempore increſcens obſervatur. His vires deficere videntur, ut natura impura a puris ſeparet & excernat, quare extractum corticis ad binas aut tres drachmas nychthemero remediis emollientibus & expectorantibus junctum exhibui, neque unquam inde malum effectum, aut ſputa ſubpreſſa vidi.

Nec obeſt corticem peruvianum in inflammationibus non convenire. Experimur quotidie ſummum hujus remedii effectum in febre ardente, quæ inflammatio vaſorum fere totius corporis eſt, dum per evacuationem ſanguinis & remedia diluentia ac adtenuatia indoles ejus phlogiſtica jam fere dempta eſt.

A cortice iterum deſiſtendum, ubi vires & pulſus inſurgunt.

Conſtat ex prioribus pleuritidem non raro in ſuppurationem abire: de qua uberius in cap. de peripneum.

Suppuratione formata, ubi abſceſſus pure plenus turget, acerrimus nonnunquam ſuccedit dolor a diſtractis membranis cum coërcentibus: abſtinendum tunc eſt a venæ ſectione, ſed omni arte moliendum, ut vo-

mica rumpatur, prout in cap. de peripneumon. dicetur.

Pus collectum nonnunquam, licet rariſſime abſorbetur & per ſputa, alvum & urinam e corpore eliminatur.

Sic Aretæus obſervavit per alvum quandoque abſceſſus a pleuritide natos pus ſuum evacuere manente plerumque ægro ſuperſtite.

In ſimilibus decocta emollientia cum melle continuanda & dein lac aqua dilutum propinandum.

Si febris urgeat cum magna ægri debilitate, ad decoctum corticis, agrimoniæ, virgæ aureæ cum lacte confugiendum.

Quandoque abſceſſus ad exteriora naſcitur, qui aperiendus. Hinc bonum foret, monente Illuſtri van Swieten, in gravioris pleuritidis initio locum maxime dolentem emplaſtro notare, ut abſceſſu nato via ibi ſcalpello vel cauſtico parari poſſit, cum non ſemper pars magis elevata obſervetur.

Sed & cum ſucceſſu uſtio & ſectio tentata fuerunt, licet nullus tumor aut rubor in externis thoracis partibus adeſſent;

cum

cum inde nihil mali metuendum & multum boni ſperari poſſit.

Rarius pus collectum metaſtaſi ad alia loca corporis, ut ad aures, crura fertur.

Ubi dolor vel tumor partis cujusdam obſervatur, emollientibus & ſuppurantibus occurrendum eſt & per apertum brevi abſceſſum puri exitus conciliandus; non enim hic requiritur maturatio crudi inflammatorii in bonum pus, vel puri analoga materies; ſed hæc alibi jam facta ad hæc loca tantum deponitur, hinc ſubito abſceſſus naſcitur, licet cutis nullo modo mutata adpareat.

Locus apertus remediis ſuppurantibus leviter irritandus, ne ſtatim iterum concreſcat & occaſio impediatur repurgationi ſanguinis a materia morboſa.

Si in pleuritide valida nec ſigna criticæ evacuationis aut ſuppurationis occurrant, ſed dolor minuatur, genæ rubeant, pulſus fiat debilis, ſputa ichoroſa accedant: gangræna oritur.

Contra hanc laudatur profunda coſtarum inuſtio, ut ſopita vitalis vis & calor in parte reſuſcitetur, atque deciduis dein

eſcharis, patula fiat via verſus exteriora ichori gangrænoſo.

Alii ſuadent lateri dolenti cucurbitam magnam & latam cum multa flamma adplicare, locum ſcarificare, ſale irritare. Altera die iterum cucurbitas adplicare.

Interne mixtura (Nro. 72.). ex camphora, extracto corticis, aqua meliſſæ, infuſum ex floribus camomillæ, verbaſci tentari poſſent. Sed malum vix medelam capiet.

Quandoque pleuritis in ſchirrhum abit, aut pleura ad pulmonem adcreſcit, de quibus in ſequentibus.

Poſt pleuritides ſæpe pertinaces manent lateris dolores magis cedentes epiſpaſticis, anodynis, Emplaſtro de labdano, cunino, quam venæ ſectioni.



CAPUT

CAPUT XVII.

DE

PERIPNEUMONIA.

Dividitur in notham & inflammatoriam: hæc ſporadica eſt, epidemica, idiopathica, vel ſympathica.

Inflammatoria incipit cum horrore: pulſus initio morbi ſat plenus & fortis, dein in mollem parvum, quandoque inæqualem mutatur; reſpiratio eſt calida, difficilis; decubitus ſæpe in dorſum tantum poſſibilis; cum tuſſi; dolore gravativo pectoris; rubore genarum. Accedit ſitis magna; urina pauca rubra; calor univerſi corporis &c.

Malum vel in arteria bronchiali, vel pulmonali hæret.

Vix operæ pretium eſt in differentiam hanc inquirere, cum cura eadem ſit & inflammata una arteria malum brevi alteram ob innumeras anaſtomoſes petat.

Gibbosi, vel quibus angustius pectus, frequentius peripneumonia laborant.

Quæ inflammationem producunt & ad pulmones determinant, morbum hunc creant: ut exercitium pulmonum violentum, cantus, clamor, equitatio fortis in vento adverso, maxime vero aër frigidus æstuante corpore adtractus; nulla enim in nobis pars est, quæ ab atmosphæræ mutationibus frequentius validiusque adficiatur ac pulmones, cum continuo aërem trahere cogamur ad vitam sustentandam. Hanc ob rationem crebrius hyeme peripneumonia occurrit.

A colica flatulenta & spasmodica longius durante peripneumonia & pleuritis quandoque nascitur, dum libera diaphragmatis actio inde impeditur.

Cura difficilis est ob perpetuum pulmonum motum, tenerrimam & facile destruendam vasculorum structuram; tum quia topica adplicari non possunt & revulsio vix locum habet.

Augetur periculum pro diversitate subjecti, ætatis, symptomatum, epidemiæ &c.

Exper-

Expertiſſimus Brambilla peripneumoniæ epidemicæ meminit (a), anno 1751 regnantis, qua debiles, ſenes, valetudinarii rarius adficiebantur & ea correpti facile ſanabantur; juvenes vero fere omnes peribant. Plurimi intra paucas horas moriebantur, licet venæ ſectiones repetitæ, emollientia &c. tentata fuiſſent. In cadaveribus cor & arteriæ ejus ſanguine craſſo quaſi lardaceo repletæ notabantur. Demum prophylactice juvenibus, plethoricis & ſanis militibus ſemel, aut bis ſanguis detrahebatur, ſic a morbo liberi manſerunt.

Maxime metuenda eſt utriusque lobi pulmonis inflammatio.

Tenſio, gravitas, rubor genarum monſtrant an in una, aut altera, vel utraque pulmonis parte hæreat.

In corpore molli, laxo & juniore facilior cura.

Hippocrates obſervavit robuſtos & laborioſos frequentius inflammationibus pectoris adfici & fortius inde adfligi.

(a) Pag. 409.

Gravidæ ægrius decumbunt & peripneumonia phthiſicis ſupervenies fere lethalis eſt.

Ex angina, pleuritide valida & paraphrenitide vix medicabilis.

Lethalis peripneumonia hydropi pectoris, aut hic peripneumoniæ ſuperveniens: quod ſæpe ſubito fieri cum Celeberrimo Zimmermanno obſervavi (a).

Mali ominis eſt in principio peripneumoniæ ſanguis floridus detractus, teſtante Huxhamo.

Cruſta inflammatoria nihil ſiniſtri deſignat: ſi tamen tenacitas inſignior, color ſumme luteus, aut pallide plumbeus, periculum eſt; cum reſolutio & adtenuatio difficulter fieri & ex diluentibus vix quidquam ſperari poſſit obſervante eodem Huxhamo.

Malum quoque, ſi in ſanguine fere in ſerum reſoluto placenta hæreat carnis quaſi firmitate & duritie prædita.

Coryza peripneumoniæ accedens timenda eſt; quia per tuſſim & ſternutationem valide

(a) Erſter Theil. pag. 363.

valide agitatur inflammatus pulmo & impetus humorum in loco adfecto augetur.

Ingens quoque periculum, ubi respiratio tam difficilis, ut corpus in lecto erigere cogantur; hoc enim situ abdominalia viscera suo pondere deorsum ducunt diaphragma, sicque pectoris dilatationem augent. Hinc Hippocrates monuit: quod si in morbi vigore ægrotus velit residere, hoc in omnibus quidem acutis morbis malum fit, pessimum vero in peripneumonicis.

Pulsus debilis, inæqualis & intermittens, dolor subito remittens absque evacuatione, sanguis eductus spumosus, caligo oculorum, stupor frigidus, singultus, &c. infausti sunt ominis.

Urinam aquosam & eam, quæ post potum cito redditur, in pleuriticis & peripneumonicis malam pronunciavit Hippocrates.

Damnatur & ingratus in pectore strepitus cum tussi sicca & fervore, qui fit vel ab aëre muco collecto irretito, vel a vesiculis pulmonum siccitate crepitantibus, dum inspirando extenduntur.

Bene diſtinguendus a levi ſtrepitu, qui educto ſputo in trachea hærente brevi ceſſat.

Cognoſcitur hic, monente Proſpero Alpino (a), quod una adſint alia ſigna bona & nullum pernitioſum illuceſcat: ut Hippocrati in Piſiſtrato viſum. Stertoroſum erat in faucibus, bene autem ferebat morbum, mente conſtabat, calor & ſtertor remiſit, ac æger evaſit.

Peripneumonia vel in ſanitatem, vel in ſuppurationem, ſcirrhum, aut gangrænam abit.

Benigna reſolutio in levi & recenti inflammatione tantum ſperanda.

Frequentiſſime ſputo ſolvitur, dum materia phlogiſtica in cavum aëreum pulmonum exprimi videtur.

Optimum cenſetur, quod ab initio flavum, mucilaginoſum cum ſtriis ſanguineis brevi in album mutatur reſpirationem & pulſum emendans.

Requi-

(a) De præſagienda vita & morte ægrotantium. p. 567.

Requiritur ut cum facilitate prodeat: ne per validam tussim inflammatus pulmo pessime irritetur.

Copia sputorum materiæ morbosæ respondere debet. Idcirco Hippocrates metuebat, ubi in peripneumoniis siccis pauca concocta educebant ægri.

Inutile est album, viscidum & rotundum; quia nihil materiæ morbosæ continet, sed tantum muco bronchia lubricante inspissato & in pulmonis cellulis in rotundam figuram compacto constat.

Malum est cruentum, valde spumosum nigrum, æruginosum, amurcosum, carnosum. Observatum tamen fuit lividum & carnosum, quandoque morbum judicasse.

Sputa, croco quasi tincta, mala sunt; cum aut sanguinem putredine dissolvi, aut liquidam tantum vel serosam partem transprimi notent.

Frequentissime crisis, ut notavi, in peripneumonicis per sputa contingit. Quandoque tamen materies morbi circulantibus humoribus miscetur & per alvum, aut urinam expellitur.

Urina

Urina critica, aut crisin concomitans, est crassa, copiosa, hypostatica, levans, cum sedimine rubro, sensim albescente.

Urina similis ab initio morbi in summa cruditate malum portendit; post septimum diem salutaris quidem est, sed morbum diuturniorem indicat.

Laudatur alvus biliosa ob materiem flavi coloris ita dicta.

Hanc criticam esse, docet levamen; cum colorem sæpe ob alia adhuc admixta non semper bene distinguere liceat.

Illustris van Swieten hæmorrhagiam narium criticam in peripneumonia se nunquam vidisse asserit; mihi quandoque occurrebat.

Nonnunquam peripneumonicis, maxime tempore humido, miliaria erumpunt, quæ quidem morbum levant, rarius tamen solvunt.

Nascuntur & abscessus ad aures, crura, hepar, lienem, &c. ut ex sequentibus patebit.

Cura

Cura in peripneumonia, ut in omni graviori inflammatione a larga venæ ſectione eſt incipienda & pro neceſſitate repetenda, donec reſpiratio emendetur.

Evitanda vero eſt ad animi deliquium usque ob ſuffocationis periculum, cum ii, qui in id ex quacunque cauſa lapſi angantur, ſuſpiria ducant & de obpreſſione pectoris conquerantur, dum reviviſcunt.

Cum Cel. Morgagnio ex nimia venæ ſectione in peripneumonia hydropem pectoris ſuccedere vidi.

Craſſi & obeſi parciorem ferunt venæ ſectionem, quam macilenti & muſculoſi.

Abſurdum quoque eſt, ut bene monuit Huxhamus, tantum ex nano, quam ex gygante ſanguinis detrahere.

Si in phthiſico peripneumonia laborante phlebotomiæ neceſſitas ſit, ligatura venæ tuſæ, animadvertente Mortono, arcta ſit. Sublatum intra chirurgi manus vidit nobilem virum phthiſicum, qui amiſſa vix ſemi libra ſanguinis ſenſim exſtillantis nulla arte a morte eripi potuit.

Certis

Certis diebus venæ ſectionis terminus circumſcribendus non eſt. Huxham quandoque nona & decima die ſanguinem detraxit. Idem vult Tiſſot, ubi febris fortis, reſpiratio difficilis, ſputa aut nulla, aut nimis ſanguinea.

Galenus præcipit (a): quod quocunque morbi die, etiam vigeſimo, venæ ſectio adminiſtranda ſit, ſi indicationes eam expoſcant.

Prima ſæpe malum levat, brevi autem iterum ſymptomata priora redeunt; hinc denuo ſanguis mittendus, qui non raro tenax & craſſo glutine obductus eſt.

Ob ſolam cruſtam inflammatoriam venæ ſectio repetenda non eſt, ut in capit. de pleuritid. dictum fuit.

Ubi malum adeo neglectum, ut pulſus celer & parvus, jactatio perpetua corporis, oculi caliginoſi, anxietas ingens, reſpiratio erecto tantum corpore perficienda: ſanguinis detractio mortem acceleraret.

Phle-

(a) Meth. med. L. IX. C. V.

Phlebotomia facta convenit ſpongiam lacte, aut aqua tepida repletam ante os tenere, vel vaſa aqua bulliente referta in cubili decumbentis ſervare.

Suadent nonnulli linteo & caput peripneumonici & vas aqua tepida repletum ita tegere, ut æger continuo aërem vaporibus aquoſis repletum haurire cogatur.

Verum optime monet Illuſtris van Swieten (a): quod ubi uterque pulmo inflammatus a laxatione vaſorum per balneum vaporis vix quidquam ſperandum ſit, cum tantis anguſtiis premantur tales ægri, ut lintea, aqua calida madentia, ori & naribus adplicata ferre nequeant.

Præterea ſimili vaporis balneo in largiſſimum ſudorem cogeretur æger, nocivum ſemper dum vi exprimitur; cum ſubtiliſſima diſſipentur remanentibus fere irreſolubilibus craſſioribus.

Alvus adſtricta clysmate ex decocto hordei, nitro & melle eluenda eſt, partim ut revulſio fiat, partim ut abdomine a fecibus

(a) Tom. II. pag. 727.

cibus & flatibus liberato facilior ſit deſcenſus diaphragmatis. Hippocrates voluit: ut in peripneumonia primis diebus alvus aperta ſervetur ad minuendam febrim. Monet autem: ne id poſt quintum diem fiat, cum copioſior dejectio ſputa impediendo morbum periculoſiorem redderet.

Ubi venæ ſectionibus inſtitutis, reſpiratio vel parum, vel nullo modo levatur, emplaſtrum veſicatorium cum duabus, tribus, quatuor emplaſt. meliloti partibus adfecto lateri adponendum.

Hoc vix dolorem creat, neque calorem multum auget, veſicas tamen æque magnas & revulſionem efficaciorem facit, ac ſolum veſicatorium, cum majori volumine adplicari poſſit: nonnunquam enim urgente neceſſitate fere totum pectus eodem involvebam ſumma cum utilitate.

Si vero pulſus jam celer & inæqualis, oculi caliginoſi, vel convulſiones occurrant: veſicantia fortiora ad pectus, ſuras, brachia & nucham conveniunt.

Clar. Whyt non multum a veſicantibus in peripneumonia ſperat; laudat ea tamen, ubi pulſus celer & debilis tangitur,

æger

æger alias evacuationes non fert & morbus provectus eſt.

Magnum certe inter pulmones & cutim conſenſus intercedit; cum ſcabie, variolis, morbillis & ceteris exanthematibus retropulſis ſubito pectus adfligatur.

Celeberrimus Pringle in magna debilitate cum delirio majorem effectum ſperat a ſinapiſmis ad plantas pedum, quam a veſicatoriis.

Sinapiſmi locum habere videntur, ubi pulſus admodum celer, ſed æqualis & ſatis plenus cum rubore capitis & magno calore conjunctus tangitur; tunc enim a cantharidibus febris, deliria &c. peſſime augerentur.

Medicamenta interna in peripneumonia indicantur, quæ in pleuritide laudabantur, ut mixtura (Nro. 8.) ex rob ſambuci oxymelle ſimplici, nitro, ſale polychreſto; decoctum (Nro. 66.) ex radice althææ & graminis.

Remedia in peripneumonia inflammatoria ſæpius, ſed parva copia ſumenda: ne per ventriculum nimis diſtentum diaphragmatis deſcenſu impedito major ſpirandi difficultas inducatur, vel ab his ſubito inge-

ſtis aucta humorum copia nimis gravetur infarctus pulmo.

Pro potu decoctum hordei cum oxymelle & emulſa conveniunt.

Decocta tepide ſunt ſorbenda, quia per calorem augetur vis diluens aquæ & hæc per œſophagum tranſiens blando tepore fovet vicinas partes.

Si pulſus plenus & durus, poſt venæ ſectionem unam aut alteram ſubito fiat mollior, debilis, tremulus, deliria ſubſultus tendinum accedant, veſicantia & camphora in uſum vocanda.

Ubi ab his ſymptomata non emendantur: verum oculi caliginoſi fiant, aut ægri convellantur; mixtura (Nro. 20.) cum ſpiritu cornu cervi & eſſentia caſtorei multos & deſperatiſſimos levavit, continuando ſtrenue diluentium uſum, niſi potum recuſent ægri.

Si pulſus fiat ſubdurus, ægri floccos carpant, convulſiones perſiſtant &c. moſchus ad tria vel quatuor grana omni bihorio exhibitus, mire prodeſt.

Plures Medici vix opem inde ſperant, niſi largiori quantitate propinetur. Verum

felicem

felicem a parva etiam moſchi doſi effectum multi alii mecum viderunt.

Depletionibus inſtitutis, reſpiratione levata non raro febris remittentis ſpecies peripneumoniæ accedit. In hoc caſu cortex peruvianus propinandus eo modo, ut in capit. de pleuritid. memini.

Criſis in peripneumonia, ut ſuperius retuli, frequentiſſime per ſputa contingit.

Hæc ab initio ſunt tenuia. Tunc emollientibus & reſolventibus ex radice graminis, althææ &c. continuandum.

In maxima obpreſſione pectoris & tuſſi ſicca commendatur: ut ſpongia, pauco aceto ac aqua tepida madida ante os & nares teneatur.

Clariſſimus Tiſſot & Unzer (a) vapore ſolius aceti per aliquot horas continuato ægros ex ſuffocationis periculo eripuerunt.

Depletionibus factis & febre mitigata, ſi tuſſis valida urgeat: ad paregorica leviora deſcendi poteſt, ad ſpaſmos ſopiendos

(a) Der Arzt, eine medicinische Wochenschrift. Fünfter Band. S. 312.

& irritationem minuendam. Si vero pulſus plenior, major calor obſerventur, peſſime noceret opium; ſed denuo ſanguis mittendus.

Obſervavit Magnificus Störck (a) in ſimilibus poſt opiata adeo vehementem ſubinde tuſſim, ut hæmoptoën fuerit minitata non niſi venæ ſectione compeſcendam.

Oleoſa, quæ commendantur, vix conveniunt: cum facile rancefcant, vaſa minima inhalantia ventriculi & inteſtinorum obturent & majori copia propinata alvum utplurimum liquidiorem faciant. Hinc mucilago ſeminum cydoniorum, gummi arabicum cum ſyrupo althææ merito præponitur (Nro. 74.).

Dum ſanguis floridus excreatur cum pulſu duro & forti, venæ ſectio neceſſaria eſt.

Si vero pulſus debilis, nec plenus: venæ ſectio peſſime noceret; ſed ſola emulſa & infuſum ex floribus rhœados verbaſci cum acidis mineralibus ad gratiam dilutis locum habent. Indi-

(a) Ann. Medic. II. pag. 61.

Indicantur & hæc in peripneumonia, ubi ingens ſitis & febris urgent. Cum acida mineralia, quamvis coagulum inflammatorium non ſolvant, putredini tamen reſiſtant & calorem vires infringentem ſemper compeſcant, neque ſanguinem cogant, teſtante Clariſſimo Ludwig (a), licet id in lympha præſtent.

Quæ de ſputis craſſioribus vel ſubpreſſis, diarrhœa, aut copioſiore urinæ profluvio, in capite de pleuritide dicta fuerunt: huc revocanda ſunt.

Monet Cl. Cullen (b), quod ſcillitica non magnam efficaciam habeant & propter nauſeam, quam nunquam non movent, ſæpe incommoda ſint, ſed idem Cl. vir (c) progreſſu morbi nihil aptius eſſe ad excretionem ſputorum promovendam judicat, quam minutis emeticorum doſibus nauſeam cieri.

(a) Inſtit. therap. general. pag. 25.
(b) Primæ Lineæ Prax. pag. 169.
(c) Pag. 167.

Cavendum quoque: ne fortiora excreantia in peripneumoniarum principiis dentur: tunc enim inflammationem, tussim & anxietatem augent.

Huxhamus post convenientes sanguinis detractiones vomitoria summe commendat, ubi a sputis subpressis magna respirandi difficultas & suffocationis periculum observatur.

Abstinendum a fortiori emetico, cum inter vomendum sanguis in pulmonibus ac cumuletur; hinc si glutinosum illud impactum concussibus non ejiceretur, suffocatio acceleraretur, ac infelix talis casus, ab adstantibus remedio adscriptus, famam Medici pessime deturparet.

Utilissimum simili in casu foret sulphur auratum antimonii, quod glutinosum incidit, expectorationem promovet & non raro levem vomitum ciet.

Prætendunt quidam sulphur auratum antimonii per se præcipitatum a Kermes minerali non differre. Diversitatem tamen inter duo hæc præparata quoad vires medicas manifestam esse Practici optime norunt.

Nam

Nam licet utrumque remedium hepatis ſulphuris ſpecies ſit partibus antimonii regulinis ſolutis, aut reconditis, ſimul conſtans; citior tamen & potentior vis emetica erit in eo medicamento, quod majorem quantitatem harum partium continet. Habetur id in ſulphure aurato antimonii; hoc enim via ſicca videlicet nuda calcinatione paratur, hinc hepar ſulphuris violentius regulum agreditur, majoremque ejus copiam adſumit, quam via humida, ſeu ſola in aqua coctione, qua Kermes minerale conficitur; hac enim methodo debilius hepar ſulphuris multa aqua dilutum tardius in partes regulinas agere & minorem earum copiam ſolvere valet.

Conſtat ex prioribus metaſtaſin fieri: ubi materies inflammatoria mobilis, cocta, puri analoga, intra pulmonales venas reſorpta, ad varia loca deponitur.

Oportet, ut hic abſceſſus ſatis cito contingant, antequam pus vomicam pulmonis formet; hoc enim venis reſorptum, ad alia loca delatum, vix magnam utilitatem faciet, cum in pulmone maneat ulce-

rosa diathesis, qua brevi novum pus in eodem loco colligetur.

Si ad interiores corporis partes, ut hepar, lienem, cerebrum fiant: subita mors plerumque sequitur; nisi bona fortuna materies, ad hæc loca delata, cito expellatur de corpore.

Laudabiles soli sunt abscessus, qui ad partes exteriores fiunt: & observatio medica docuit, illos plerumque in hoc morbo ad parotides vel crura nasci: rarius vel nunquam ad alia corporis loca.

Sed & hi evanescentes summum periculum portendunt, nisi alia evacuatio statim succedat.

Quare sollicita attentio monente van Swieten requiritur, ut prævideantur futuri abscessus: ne horum ignarus Medicus importuno artis molimine turbet quandoque futuram brevi, vel jam inceptam materiæ morbosæ metastasin; sed his prævisis ad loca, quæ critici tales tumores occupare possent, talia adplicet, quæ faciunt, ut ad hæc, minus resistentia, plus materiæ morbificæ feratur.

Præ-

Prævidentur hæ metaſtaſes, ex febre magna, diuturna, ſed non nimis vehementi, abſentibus ſignis reſolutionis, aut criticæ evacuationis & ſi dictæ partes rubeant, doleant.

Licet enim ſputa quædam excernantur, ubi critici tales abſceſſus brevi jure exſpectantur: hæc tamen non tanta copia prodeunt, ut morbi materiæ excernendæ ſufficiant; ſed tantum indicium dant, quousque ea mutata & cocta fuerit.

Pulſus quoque aſſiduo & mire vacillat, verum absque reliquis ſignis pravis comitantibus, alias mortem notat.

In metaſtaſi circa crura ſigna levioris inflammationis ad hypochondria obſervantur, ſive a materia morbi per cœliacam, meſentericam utramque ad viſcera cylopoëtica & venæ portarum anguſtias delata, ſive ab alia cauſa minus cognita: ſufficiat, monente van Swieten, noviſſe Medico, quod inde præſagium habeatur, futuri circa crura abſceſſus.

Si ad aures fiant, hypochondria ſunt mollia: nam & his adfectis magnum periculum ſubeſt; cum tantam materiæ morboſæ

copiam notet, ut loca innoxia illam capere nequeant, ſed viſcera ſimul ſaburra eadem graventur. Inde Hippocrates monuit anxietatem in hypochondrio ſentientibus tumores circa aures ortos mortem inferre.

Metaſtaſin ad hepar futuram urina ſubicteritia & color ſubflavus cutis notat. Niſi autem materia inflammatoria huc delata per ductus excretorios venæ portarum viam inveniat, atque in inteſtinorum cava delapſa per alvum expellatur, vel in venam cavam redux ad alia minus periculoſa loca deponatur, aliisve viis de corpore exeat: vomicam hepatis faciet, a qua raro emergunt ægri.

Abſceſſus ad partes dictas ſalutares eſſe docet reſpirationis emendatio, pulſus amplior & plenior, febris imminutio.

Oportet, ut copiam purulenti humoris fundant, aliquamdiu aperti maneant, & utcunque fiſtuloſi fiant ob novam continuo huc delatam materiem, quæ impedit, ne tam cito latera cavi abſceſſus contigua fiant & inter ſe uniantur.

Ubi

Ubi abſceſſus ad crura vel aures expectantur: emollientia, ſtimulantia, imo quandoque leviſſima veſicantia indicantur, ut in capite de febribus ardentibus & pleuritide dictum.

Abſceſſus mature aperiendi & aperti ſervandi ſunt pergendo pro diverſitate ſymptomatum uſu decocti ex radice graminis, altææ, corticis peruviani, camphoræ, ſpiritus cornu cervi, moſchi.

In quibus ulcera hæc multum puris manabant, cum magna virium proſtratione, macie, febricula quaſi lenta: decoctum ex cortice peruviano lichente islandico cum aqua & lacte profuit (Nro. 29.)

In metaſtaſi ad hepar decocta ex taraxaco gramine cum melle, fomenta ad hypochondria ex emollientibus & ſapone veneto conveniunt. Clysmata frequenter injicienda, ut reſorpta venarum meſeraicarum oſculis in inteſtina patentibus directe & integris ſuis viribus ad hepar veniant.

Peripneumonia non tam vehemens, ut gangræna, aut ſuffocatio accedant, in ſuppurationem abit.

Hanc

Hanc futuram ſuadent pulſus mollis & debilis, doloris remiſſio abſentibus ſignis reſolutionis, aut criticæ evacuationis.

Primum ſignum inceptæ ſuppurationis eſt horripilatio vaga, nullo certo ordine, nulla manifeſta cauſa, v. g. frigore admiſſo ortum ducens.

Cauſam hujus deſignare difficilius foret. Sufficiat, animadvertente van Swieten (a), obſervationes practicas docuiſſe eam ſemper adeſſe in ſuppuratione interna

Hac facta tuſſis pertinax ad paſtum & motum aucta continuat, qua quidem aliquid muci ejicitur, ſed nihil de loco adfecto educi poteſt, cum abſceſſus nondum ruptus ſit.

Accedit dein reſpiratio difficilis, parum anheloſa, ſtrepens, decubitus in ſanum latus intolerabilis, febricula continua periodica a paſtu & motu exacerbata, appetitus proſtratus, &c.

Suppuratione facta multum diſcriminis ſubeſt, cum rupta talis vomica in pectoris cavum pus effundere poſſit & empyema lethale facere, vel totam ſanguinis maſſam purulenta cacochymia ſic inficere, ut funeſta

(a) Tom. II. pag. 744.

ſta ſequatur phthiſis. Nec minus periculum imminet, ne abſceſſus mole quotidie auctus vicina vaſa adhuc libera comprimens ſuffocet ægrum, antequam maturatio perfecta & maturi abſceſſus ruptura fiat.

Si vomica formata ſit, pondere ſuo vicina premit & ſuffocat.

Sic a pure thoracem anguſtante & præmente levioris apoplexiæ ſpecies, linguæ paralyſes obſervarunt Celeberrimi Medici quæ ſymptomata ſputis libere prodeuntibus minuebantur, aut ceſſabant: iis ſubpreſſis vel imminutis redibant, aut augebantur.

Omni ergo ope nitendum eſt, ut quam ocyſſime fiat maturatio & hac facta, collectum pus citiſſime educatur.

Hinc ubi pus formatur, venæ ſectio non convenit, cum vires debilitando maturationem retardet: niſi forte ſumma pectoris obpreſſio, aut ingens febris eam poſtulet.

Vidi nonnullos ægros, quorum peripneumonia minus bene tractata in ſuppurationem abiit: vomica vaſa ſanguinea vicina comprimendo novam iterum inflammationem creavit: febris, calor, reſpiratio-

nis

nis difficultas perpetuo augebantur: ad suffocationis periculum evitandum vena secabatur symptomata omnia ita levabantur, ut adstantes, imo ipsi Medici jam de felici morbi eventu lætarentur. Verum mansit tussis sicca, nonnisi spumosa, aquosa, cum exiguis flavis punctis intermixtis educens, nec ulla alia sequebatur crisis. Hinc infausta, quam formavi, prognosis brevi confirmabatur & ægri post paucos dies, accedente fervore illo ingrato pectoris, frustra adhibitis omnibus remediis, perierunt.

Ad rumpendam vomicam vapor calentis aquæ commendandus, ad emolliendam aëream pulmonis superficiem, ut liberrime huc versus ire possit collectum pus & ut membrana hoc continens citius & facilius rumpatur.

Continuanda simul sunt interne emollientia.

Ubi abscessus rupturæ proximus est, quod ex plenitudine pectoris noscitur, cum jam omnia tendantur, alimenta pinguia, copiosa, ingerenda, ut a ventriculo distento descensus diaphragmatis impediatur & abscessus magis comprimatur.

Meri-

Merito quoque laudatur clara lectio, injectio aceti tepidi per parvam ſyringam in fauces, vectio per ſtrata lapidea; ſed hæc cum circumſpectione commendanda, ne dum vomica rumpitur & æger in rhœda ſuffocaretur fama Medici patiatur.

Periculum enim ſuffocationis ſemper ſubeſt, ſed hoc evitari nequit & quo diutius locus ille clauſus erit, eo majus diſcrimen.

Rupto abſceſſu dubius adhuc manet morbi exitus, cum ſuppuratio hæreat in viſcere vitali, aëri expoſito & aſſidue moto.

Si ſputum album, leve, inſtar cremoris lactis, ſubjectum juvenile ceteroquin ſanum, ſi appetitus bonus, ſymptomata minuantur: ſpes eſt recuperandæ valetudinis.

Quo magis ab his qualitatibus recedit, eo pejus.

Vomica aperta decoctum ex hordeo, oryza, agrimonia; & ſi inſignior ſitis, calorque notentur: emulſa, ſerum lactis conveniunt.

Pure nimis craſſo, diacodium cum oxymelle ſcillitico propinandum.

Si

Si corpus extenuetur, decoctum ex lichene islandico & agrimonia prodeſt, cui ubi magna debilitas, cortex peruvianus addendus.

Difficilius ferunt corticem in ſubſtantia & frequenter inde pectore anguntur, ac ſputa ſubprimuntur.

Noctes inſomnes & tuſſis ad veſperas vehementior paregoricum petunt; ne ab hac ulcus denuo inflammetur & ab inflammatione nova iterum ſuppuratio oriatur.

Ubi nulla amplius febris, pilulæ ex olibano, ſtyrace calamita, extracto liquiritiæ cum exigua doſi balſamorum nativorum conveniunt (Nro. 75); artificialia enim inflammante acrimonia potius nocent, quam proſunt.

Antihecticum Poterii, quod a quibusdam laudatur, mihi infidum imo nocivum videtur remedium, cum ſtannum vulgare vix non ſemper plumbum, anglicum vero, quod ad hoc præparatum ſumi jubetur, zincum, bismutum, item cuprum varie admiſtum habere ſoleat. Hinc cum nec plumbum nec cuprum hecticis conveniat, multo

to minus horum metallorum calces, magis adhuc ſolubiles, propinari poſſe autumo.

Præterea puriſſimum ut vocant ſtannum ob maximam, quam cum arſenico habet affinitatem aliquid hujus pernitioſi ſemimetalli ſibi admiſtum habere & pervicaciter retinere, per experimenta demonſtrarunt Henkel & Marggraf.

Victus ex lacticiniis & oleribus moliſſimis, ut endivia, lactuca, ſpinachia eligendus. Alimenta pauca quantitate ſed repetitis vicibus adſumenda, ne nimia humorum copia morboſus gravetur pulmo.

Gelatinæ ex extremis animalium partibus peſſimo cum eventu vomica laborantibus & phthiſicis a vulgo commendantur; cum tenax & viſcidus inde naſcatur chylus debilem pulmonem plus gravans, quam corpus nutriens.

Illuſtris van Swieten a decocto pedum vituli ingentes anxietates & tumentes inde ægros vidit.

Conſtat ex prioribus vomicam non raro in cavum pectoris rumpi & empyema formare.

Noſcitur hoc ex ſignis vomicæ diſparentibus, tuſſi ſicca, gravitate, decubitu aut in dorſum, aut in latus adfectum tantum poſſibili; fluctuatione, ſtrepitu puris ad motum corporis, niſi hoc craſſum vel copioſum ſit; demum genis rubentibus, febre lenta, oculis cavis, unguibus recurvis.

Incerta eſt dies, qua vomica rumpitur. Hippocrates monet id quandoque vigeſima, quadrageſima, ſexageſima die accidere. Simul notat illis ægris citius rumpi vomicas, quibus dolor intenſior fuit in principio morbi, uti & ſpirandi difficultas cum tuſſi & ſputatione.

Dum empyema formatur, rupta vomica, ſymptomata ita minuuntur, ut quandoque penitus abolita videantur.

Cavendum ergo eſt Medico, animadvertente van Swieten, ne ſubito hoc levamine deceptus credat morbum finitum eſſe, cum adhuc anceps periculum ſuperſit. Non quidem convenit triſti prognoſi data eripere ægro blandam illam ſanationis ſpem, quam conceperat, ſed oportet amicos monere, quod fallax illud levamen ſit, ſic famæ detrimentum cavebitur.

Pro-

Prognosis est pessima. Vel enim a corruptione puris febris hectica & phthisis, vel a puris copia respiratio suffocativa oritur; quod ex lateris adfecti protuberantia, tumore brachii, anima fætente, febre hectica, sudoribus nocturnis noscitur.

Habentur quidem exempla puris resorpti & per urinam aut alias vias excreti. Verum rarissime pus bonum, quod crassum est, absorbetur.

Hinc vix alia via supereſt, nisi paracenthesis. Hac facta vulnus nunquam consolidandum, nisi constet depuratam rite superficiem ulcerosam thoracis interni esse; quia novum fieret empyema, quod similem denuo operationem posceret.

Hac instituta indicantur remedia, quæ vomica rupta laudabantur: de quibus uberius in capite de phthisi.

Si empyema vetus, vires collapsæ, capilli jam cadant, alvi fluor colliquativus adsit, corpus contabescat; paracenthesis facta mortem accelerat.

Nam perforato thorace tabefactus pulmo, qui a pure collecto adhuc sustentabatur,

tur, diffluit ilico & ſubito moriuntur ægri.

Abit & peripneumonia in ſcirrhum, quem orthopnoea, moleſta & ſicca tuſſicula, ſymptomata a motu corporis, aut paſtu aucta comitantur, maxime dum cruda & copioſa alimenta adſummuntur.

Diſtinguitur hic a vomica: quod ſymptomata in eodem ſtatu maneant, in vomica vero increſcant.

Ægre curatur, cum & in externis corporis partibus difficilis cura ſit, ubi omnia artis adminicula immediate loco adfecto adplicari poſſunt.

In recenti ſcirrho pilulæ ſequentes tentari poſſunt.

℞. Sapon. venet. unc. j.
gummi ammoniac. dr. ij.
extracti cicutæ dr. j.
f. l. a. pil. gr. iij.
ſumat ter de die vij.

ſuperbibendo aquam ſelteranam cum pauco lacte.

Ubi

Ubi inveteratus ſcirrhus, nihil movendum; ſed omnia, quæ inflammant, aut craſſum chylum generant prohibenda. Facile & in hoc morbo concreſcunt pulmones cum pleura, dum ſiccæ & inperſpirabiles hæ partes redduntur.

Parva adcretio vix notatur. A majori vero reſpirationis impedimentum & dolor fere immedicabilis.

Si peripneumonia curata appetitus proſtratus & ingrati ructus notentur: purgans lene ex aqua laxativa viennenſi convenit.

In hypochondriacis & hyſtericis poſt violentiores pectoris inflammationes non raro ſupereſt ſat longo tempore obpreſſio pectoris & reſpiratio difficilis ob ſpasmos majores in corpore a venæ ſectionibus & diluentibus plus debilitato. Cavendum: ne malum pro ſuppuratione, vel obſtructione habeatur & reſolventibus, vel lacticiniis tractetur, cum pulſus in his ſæpius fallat, ut in omnibus hyſtericis.

Sed id patet ex temperamento, ſymptomatibus prægreſſis, abſentia febris, genis non rubentibus, urina pallidiore.

De diæta & regimine ea notanda, quæ in methodo medend. febrium dicta fuerunt.

PERIPNEUMONIA PUTRIDA.

Quandoque pleuritides & peripneumoniæ occurrunt, ubi aut putridum inflammatorio junctum eſt, aut ſolum putridum dominatur.

In ſimilibus pulſus minus durus & fortis eſt; ſed calor acer, mordax, ſiccus; appetitus proſtratus, lingua ſordida; pondus in regione ventriculi, venter turgidus nauſea, vomendi conatus; urina bilioſa; ſputa tenuiora & magis flava, quam in inflammatoria animadvertuntur.

In hac peripneumoniæ ſpecie venæ ſectio vitanda, aut parcior inſtituenda, quam in ſimpliciter inflammatoria. Tiſſot ſimilis meminit, ubi omnes, quibus ſanguis detrahebatur, monebantur.

Bian-

Bianchi (a), Vandermonde (b), Fothergill (c) a venæ ſectione in morbis pectoris bilioſis celebrata peſſimos eventus notarunt.

Semper tamen ætatis, temperamenti, prægreſſorum, pulſus, conſtitutionis epidemicæ ratio habenda eſt.

Pleuritide, aut peripneumonia hac decumbentibus mixturæ ſequentis unciam unam omni hora, aut bihorio propinabam, donec aliquoties inde purgarentur.

℞. Aqu. fœnicul. unc. x.
Sal. mirab. Glauber. dr. vj.
Syrup. mannat. unc. jß.
M.

Manna vel tamarindi ſoli haud ſufficiunt ob glutinoſum frequenter bilioſo junctum.

(a) Hiſtor. hepat. pag. 242.
(b) Recueil periodique d'obſervat. de Medicin. Tom. IV. pag. 130.
(c) Account of the putrid. ſore throat. pag. 41.

Purgatis primis viis, decoctum ex radice graminis, althææ cum ſale polychreſto, oxymelle ſimplici, ſyrupo quinque radicum edulcoratum propinandum, addito ad gratum acotem ſpiritu vitrioli.

Occurrebant quandoque ægri, qui nec a dictis purgantibus, nec ab acidis dilutis levabantur; verum continuabat vomitus, nauſea, ut licet ingenter ſitirent, potum tamen omnem & gratiſſimum reſpuerent: iis præmiſſa debita ſanguinis detractione lene emeticum (Nro. 73.) ſummo cum ſucceſſu exhibebatur.

In pleuritide quadam epidemica bilioſa teſtante Schrœdero Medicus ſummo cum ſucceſſu emetica dabat, quæ vero ſæpenumero ſolummodo alvum ſolvebant & ſi vomitus non concitaretur, moriebantur fere ſemper ægri. Ad hoc præcavendum in regione epigaſtrii, priusquam vomitorium propinaret, veſicatorium impoſuit, & in omnibus, quibus hoc applicatum erat, emeſin civit ægris ſervatis. Symptoma hoc probabiliter a ſpasmis vomitum impedien-

dientibus oriebatur, quos vesicatorium auferebat (a).

Maxima tamen cautela opus est. Frequentissimi enim grassante anno 1773. peripneumonia in Nosocomio occurrebant ægri, quibus ob vomitorium ab imperitis datum aut gangræna aut immedicabilis suppuratio succedebat.

Hinc notavit Balonius: (b) quod magnæ prudentiæ sit observare in ægris, quibus venæ sectio & quibus purgatio potius conferat: ne peccetur in medendo.

Ubi his adhibitis morbus non levatur, sed diathesis putrida augetur, salina alvum apertam servantia, largiora acida mineralia, cortex peruvianus, vel camphora, moschus, spiritus cornu cervi propinanda sunt, ea ratione & iisdem cum cautelis, ut in capite de febre putrida dictum fuit.

Ab anni spatio plures sævissima pleuritide & peripneumonia corripiebantur, quibus ob febrim validam & respirationis

(a) Wienholt de inflammat. occult. pag. 27.
(b) Oper. om. Tom I. pag. 72. 121.

difficultatem ſanguis largiſſima quantitate detrahendus erat, qui cruſtam lardaceam, denſiſſimam, cultro reſiſtentem exhibuit. Remediis antiphlogiſticis, emollientibus morbus parum levabatur & ſputa cocta educebantur; verum minuta phlogoſi notabatur febris tertianæ duplicis typum ſervans; exacerbationis tempore ſputa ſupprimebantur; pulſus in debiliſſimum mutabatur; accedebant aut ſopor, aut deliria; angebantur peſſime ægri & largiter tenuem urinam mingebant; vires adeo languebant, ut morti proximi viderentur. Ob ſummam debilitatem camphora leni doſi data profuit; ſed brevi ad corticem tranſeundum erat, cujus uſu expectoratio exacerbationis tempore facilior reddebatur & ægri adhibitis ſimul emollientibus, diluentibus, expectorantibus remediis brevi integræ ſanitati reſtituebantur.

Erant eodem tempore alii, qui febre corripiebantur continua cum exacerbationibus quotidianis, ita tamen, ut una alteri tertiæ diei & tempore & gravitate ſymptomatum reſponderet; ſub acceſſu tuſſis ingens, inanis, dolor punctorius lateris

reme-

remediis externis & internis non obediens obſervabatur; iis purgato prius corpore cortex dandus erat; hoc ſumpto reſpirationis difficultas & dolor brevi fugiebatur & decumbentes utplurimum per ſudorem largum & ſputa puriformia judicabantur. Rariſſime phlebotomiæ locus erat ob vires fractas & pulſum, qui, licet tempore exacerbationis fortis eſſet, in remiſſione debiliſſimus & inæqualis tangebatur.

Vidi nonnullos periiſſe, quibus ad tuſſim compeſcendam opiata propinabantur & corticis uſus negligebatur.

PERIPNEUMONIA NOTHA.

Peripneumonia notha hyeme a frigore vel verno tempore oritur, dum ſuperveniente calore pituita ſolvitur, humoribus circulantibus miſcetur, tenacitate ſua vaſa obſtruit & pulmones ſenſim ſenſimque infarcit.

Seni-

Senibus, otiosis, victu duriore abutentibus, pituitosis, frigidis, catarrhosis, spiritu vini abutentibus familiaris est morbus.

Rarior feminis & pueris, cum vasa facilius dilatentur.

Quæ humores magis ad pulmones determinant, morbum hunc producunt: ut cursus, declamatio, cantus, ebrietas, æstus, subitum frigus calorem excipiens.

Diagnosis morbi est difficilis.

Incipientis signa sunt: temperamentum, prægressa levis defatigatio, major debilitas, hebetudo insolita, sensus torpentes, proclivitas ad somnum, facies rubra livescens, anhelatio, anxietas, pectoris obpressio. Abest febris, aut levissima solummodo ægros vexat. Sequuntur horripilationes, vicissitudines caloris & frigoris augentur anhelitus & debilitas. Urina quandoque pallet, quandoque intense rubet, emissa statim turbatur, aut turbida mingitur, talis absque sedimine manet, conquassata spumam diu retinet. Accedit molestus dolor capitis inter tussiendum & multa communia signa cum peripneumonia vera;

sed

ſed levior longe febrilis inſultus animadvertitur.

In ſenibus non raro hydrops pectoris ſuccedit.

Cura eſt difficilis. Venæ ſectio caute inſtituenda ob corpus laxum & ſenile. Adtenuantia ſumma cum prudentia quoque adhibenda, ne impetus humorum in vaſa pulmonalia augeatur & obſtructio irreſolubilis reddatur. Quod triſti ſæpius exemplo patuit, dum ægri aëris frigus tamquam unicam cauſam accuſantes, ſpiritibus fermentatis, aut aromaticis utentes brevi perierunt.

Cura niſi vires nimium proſtratæ, aut pulſus inæqualis &c. a venæ ſectione ex largo vulnere incipienda ne pituita gravatus ſanguis id obſtruat.

Sic tutius dein remedia adtenuantia in uſum vocari poſſunt.

Parcius detrahendus eſt ſanguis tempore humido & ætate admodum provectis.

Cavendum a nimia venæ ſectione, cum hæc lentorem pituitoſum augendo peſſime noceat.

Clysma

Clysma quotidie injiciendum, donec pulſus fortior & reſpiratio facilior reddatur.

Abſtinendum ab enematibus, ſi nimium inde debilitentur ægri.

Veſicantia extremitatibus adponenda & corpus ſale ſedlizenſi, aut thermarum carolinarum purgandum.

Sydenhamus vult, ut alternis diebus purgans antiphlogiſticum exhibeatur. Verum hoc pro diverſitate ſubjecti & ſymptomatum eſt determinandum. Nam obeſi, viribus magis valentes, laute antea nutriti plures ferunt alvi evacuationes, quam ætate provecti, aut viribus admodum fracti.

Decoctum & infuſum ex radice bardadanæ, hyſſopo; floribus ſambuci cum oxymelle ſimplici & ſcillitico edulcoratum addito pauco nitro ſæpe prodeſt (Nro. 76.).

His non juvantibus Kermes minerale, & urgentiore caſu ſulphur auratum antimonii ad granum unum vel duo omni bihorio, aut trihorio exhibendum.

Si hiſce in uſum vocatis, abſente febre ſputa valde glutinoſa ejiciantur, manente ſat valida pectoris obpreſſione gummi ammoniacum aceto ſquillitico ſolutum,

aqua

aqua hyſſopi dilutum convenit ſuperbibendo infuſum ſtipitum dulcamaræ (Nro. 77.) hyſſopi &c.

Abſtinendum ab omnibus oleoſis.

Morbo jam debellato pilulæ (Nro. 78.) ex gummi ammoniaco, extracto enulæ exhibendæ ad hydropem pectoris præcavendam.

Si urina parcior, corpus magis inflatum, prioribus pilulis aliquot grana extracti ſcillæ utiliter admiſcentur.

Morbo durante victus tenuis; eo debellato diæta ex carnibus tenuioribus & facile digerendis imperanda eſt.

Moderatus vini & aromatum uſus, frictiones, levis corporis motus, acidulæ, ut Ruitſchenſes cum vino Auſtriaco, multum proſunt.



CAPUT

CAPUT XVIII.

DE

PARAPHRENITIDE, MEDIASTINI, ET PERICARDII INFLAMMATIONE.

Frequentius, ac creditur, mediaſtini & pericardii inflammatio contingit, notante Illuſtri van Swieten.

In mediaſtino inflammato æſtus validus, anguſtia ad ſtrenum, ſputa colorata, pulſus durus obſervatur. Minor autem dolor, ac in pleuritide ægros vexat: cum inter inſpirandum dilatato thorace non tam valide diſtrahatur mediaſtinum.

In inflammato pericardio pulſus perturbatior & animi deliquia occurrunt.

Nonnunquam talis morbus phrenitidem & paraphrenitidem comitatur. Nam, mo-

monente Clariſſimo Selle (a), haud raro accidit, ut plurium partium inflammationes ſimul coëxiſtant, pro cujus complicationis diverſitate alia atque alia phenomena adparent, quorum determinatio ſat difficilis eſt.

Cauſæ & cura eædem ſunt, ut in pleuritide, ſed prognoſis periculoſior: niſi enim benigna reſolutione morbus ſolvatur, mors ſubita, aut vix ſuperabilia ſequuntur mala.

Ubi abſceſſu nato ſub ſterno pus collectum, terebrationem ſterni laudant.

Paraphrenitis noſcitur ex febre continua valde acuta; reſpiratione ſublimi, parva, celeri, ſuffocativa, ſolo fere thorace peragenda; dolore ad præcordia, latera, dorſum in inſpiratione aucto. Accedit tuſſis, nauſea, vomitus; hypochondriorum introrſum revulſio; delirium & riſus ſardonius.

Falluntur vero, qui credunt cynicum ſpasmum pathognomicum inflammati diaphragmatis ſignum eſſe. Bina exempla

(a) Rudim. pyretolog. method. pag. 119.

vulnerati diaphragmatis ſine riſu ſardonio refert Illuſtris Morgagnius (a).

Sed & aliis imi ventris adfectionibus hic ſpasmus quandoque accedit. Sic Clariſſimus van Dœveren riſum ſardonium in paroxyſmo febris intermittentis per emeticum dein fugatæ obſervavit. Et Clariſſimus Strack multos in febre petechiali riſu ſardonio exanimatos vidit (b).

Juvenis recordor, qui febre putrida neglecta riſu ſardonio ſtipata decubuit. Cortice peruviano, acidis mineralibus, clyſmatibus, ſpiritu cornu cervi cum eſſentia caſtorei propinato multum levabatur. Verum tertia die ob metum præſentis inflammationis diaphragmatis, licet pulſus debilis & celer eſſet, nec dolor in reſpiratione adficeret ægrum, me diſuadente venæ ſectio inſtituta & oleoſa exhibita fuerunt. Sed inde, ut prædixeram, poſt biduum convulſus periit æger.

Ex quibus patet non ex diaphragmatis ſolum, ſed cujuslibet viſceris, quod a nervo

(a) De ſed. & cauſ. morb. Epiſt. L. III. art. 3. & 6.
(b) Obſerv. de morb. cum petech. pag. 175.

nervo intercoſtali ramos habet, vitiis ſpaſmum illum per conſenſum produci poſſe. *

* *Legi poteſt Henrici Rahn Diſſertatio de miro inter caput & viſcera abdominalia commercio Gœttingæ edita.*

Prognoſis eſt periculoſior, ac in pleuritide ob motum perpetuum partis, ob conſenſum ejus cum corde & cerebro. Hinc tertio, quinto, ſexto die moriuntur. Morbus ut peripneumonia judicatur.

Cura eadem ac in pleuritide.

Clysmata injecta plurimum proſunt, cum inteſtinum colon, ubi circa hepar & lienem tranſit, diaphragmati vicinum eſt; hinc molliſſimis decoctis, per clyſmata injectis repletum adplicat fomentum blandum & reſolvens inflammato diaphragmati.

Si abſceſſus naſcatur, aut in cavum thoracis, aut in abdomen rumpitur. In priori caſu empyema, in ultimo aſciten purulentum creat.

CAPUT XIX.

DE

HEPATITIDE.

Hepatitis in vena portæ, vel arteria hepatica locum habet.

Una nata, facile altera ob innumeras anaſtomoſes ſequitur.

Fridericus Hoffmannus & Illuſtris van Swieten rariorem hepatitidem veram eſſe docent, ob arteriæ hepaticæ parvitatem & minorem impetum ſanguinis venæ portarum.

Frequentius hepar in parte exteriore inflammatur.

Signa hepatitidis ſunt: febris acuta continua, ſitis, reſpiratio difficilis, tuſſis ſicca, urina flammea, alvus adſtricta, tenſio dolorifica hypochondrii dextri, quæ quandoque pleuritidem mentitur & ad jugulum usque extenditur.

In extima hipatis membrana adfecta, ſingultus, tumor hypochondrii dextri, decubi-

cubitus in idem latus moleſtior, pulſus durior, celerior, dolor vehementior, præcipue in motu diaphragmatis.

In inflammatione partis concavæ major vomitus, anxietas, tenſio & icterus.

Hepatitidem cauſant omnia, quæ inflammationem generant & ad hepar determinant: ut bilis acris poſt æſtates fervidas, calculus, obſtructio, contuſio, hæmorrhoides & menſtrua ſubpreſſa, affectus animi validi, metaſtaſis, rheumatiſmus, podagra.

A potu & balneo frigido hepatitis oriri valet: cum hepar magna ſui parte ventriculo incumbat & ibi nudo peritonæo tangatur.

Ab hepate inflammato bilis generatio, ſecretio, excretio turbatur; inde icterus, putrefactio liquorum & viſcerum abdominalium.

Morbus eſt periculoſus, ob viſcus friabile, perpetuo agitatum & bilem tam facile putreſcibilem.

Minus diſcriminis eſt, ſi inflammatio hæreat in vaſis venæ portarum, quam ſi occupet vaſa arterioſa hepatica. Gibboſa

enim hepatis pars inflammata facile diaphragma ſimul adficit.

Ex materia atrabiliaria vix medelam admittit, vel ubi hepar antea ſcirrhoſum, aut calculoſum fuit.

Vomitus nigri, dejectiones alvi tetri coloris & odoris, continuus ſingultus, ſitis magna, extremitatum frigus, ſigna dant gangrænæ præſentis, mortisque inſtantis. Secus dejectiones tales absque malis ſignis ſalutares eſſe poſſunt, dum ſanguis hæmorrhoidalis fecibus miſtus per anum excernitur.

Solvitur hic morbus benigna reſolutione, criticis evacuationibus, metaſtaſi, vel in ſuppurationem, ſcirrhum & gangrænam abit.

Criticæ evacuationes ſunt: alvus bilioſa cum pauco cruore; hæmorrhagia communiter ex nare dextra; urina acris, multa, craſſa, cum ſedimento ſubalbo, ſudor continuans.

Sic Galenus obſervavit: ipſam bilem infarcto hepate in ſanguinem regurgitantem per ſudores amaros exiviſſe de corpore.

Atra-

Atrabiliariis & quibus hæmorrhoides ſubpreſſæ, morbus & per hæmorrhoides ſolvitur.

Vidi quandoque ſputa flava, copioſa, morbum levantia, absque ullo adfectorum pulmonum ſigno, quandoque enim ut Sarcone (a), aliique obſervarunt, pectus & hepar ſimul inflammantur.

Amicum quoque ſcirrhis adominis inveteratis diu laborantem, inflammatione hepatis correptum ſputis copioſiſſimis cœnoſis ſuffocatum dolui; licet duodecim ante mortem horis nulla omnino pectoris labes ſe manifeſtaſſet.

Naſcuntur & in hepatitide metaſtaſes ad crura.

Supervenit nonnunquam mitior lienis dolor, qui ubi ante ſigna ſuppurationis obſervatur, materiam in hepate ſtagnantem jam mobilem redditam per alias vias excretam iri notat: in progreſſu morbi, ubi nulla ſpes reſolutionis, ſuppurationem & ſcirrhum indicat.

(a) Pag. 238.

Indicationes ſunt, impetum humorum minuere, craſſum adtenuare & ſolutum evacuare.

Venæ ſectio parcior, ac in aliis inflammationibus inſtituenda, præcipue ubi malum in vena portarum hæret.

Si pulſus debilis, icterus gravior, vires proſtratæ; peſſime noceret.

Atrabiliariis, vel quibus hæmorrhoides ſubpreſſæ, hirudines & inſeſſus ſuper aquam calidam proſunt.

Cataplasmata, fomenta ex ſpeciebus emollientibus cum ſapone veneto & urgente neceſſitate, ſuadente Pringle, veſicantia hypochondriis adplicanda ſunt.

Clysmata maximæ ſunt utilitatis, cum bibulis venis reſorpta, directe & integris ſuis viribus ad locum adfectum perveniant, & tepida hæc inteſtinum colon, quod notabili parte ſecundum hepar decurrit, intrando, blandum fomentum hepati largiantur.

Remedia in hepatitide indicantur ſolventia, alvum moventia, ſitim & calorem minuentia, ut decoctum ex radice graminis, acetoſæ, cichorei, tamarindis, cum

ſale-

ſale polychreſto & ſyrupo quinque radicum vel mixtura (Nro. 79.), vel electuarium ex rob ſambuci pulpa tamarindorum & cryſtallis tartari.

Potulenta moderata doſi pro vice ſumenda ſunt, ne vomitus excitetur.

Criſi per alvum, aut ſudorem ſequente decoctum prius absque ſalibus mediis & tamarindis convenit; alvus enim ita moderanda, ne vires emungat.

Idem remedium addita drachma una aut altera nirri locum habet, ubi hepatitis per urinam, quod rarius, ſolvitur.

Morbum ſuperatum ſcimus: ſi urina & feces naturales, ſi nulla flavedo in oculis nec ex pallido flaveſcens faciei color, nullus dolor circa hypochondrium dextrum, nulla anxietas præſertim repleto ventriculo, vel poſt majorem paulo corporis motum obſervetur & imprimis, ſi per aliquot ſeptimanas nullum ex his ſignis redeat.

Magna enim cura cavendum eſt: ne quid maneat morboſi, cum gravia mala chronica a neglecta vel non integre curata hepatitide originem ducant.

Nonnunquam inflammatione fugata, præcipue in ſubjectis atrabiliariis ob cauſas leviores icterus vehementior & pertinacior redit.

His præter decocta ſolventiſſima pilulæ ex ſapone veneto, gummi ammoniaco, extracto rhei & ſale polychreſtro præſcribendæ (Nro. 80.) Abdomen unguento althææ inungendum.

Quandoque a diuturniori horum remediorum uſu diarrhœa ſequitur, quæ ægros jam debiliores viribus exhaurit, quod ex pulſu debili, parvo, inæquali &c. noſcitur.

His purgantium & ſolventium loco mixtura ex extracto corticis & aqua meliſſæ vel ſimplici, vel ubi vires multum languent, cum vino propinanda & decoctum hordei cum oxymelle ſimplici & ſyrupo rubi idæi pro potu dandum.

Non obeſt corticis peruviani uſum in obſtructionibus viſcerum damnari: nam in hoc caſu humores ab acri bile ſoluti & ſolida nimis laxa videntur; hinc cortex tamdiu continuandus, donec vires augeantur, dein eidem mixturæ aliquot drachmæ ſalis

poly-

polychrefti admiſcendæ, donec alvus difficilior, robur firmatum priorum ſolventium remediorum ulteriorem uſum continuandum ſuadeant.

Morbo debellato ad recidivam præcavendam, acidulæ Egranæ, vel Ruitſchenſes utiliſſimæ ſunt.

Suppuratio oritur, ubi nec reſolutio nec critica evacuatio acceſſit, continuante febricula, horripilatione vaga, &c.

Abſceſſu nato vel totum hepar conſumitur & inde icterus, tabes, tympanitis, diarrhœa colliquativa: aut in abdomen rumpitur & viſcera conſumendo, aſciten, vel rupta vena portæ, ſubitaneam mortem infert. Utrumque malum inſanabile eſt.

Vel materia purulenta per ductum hepaticum ad duodenum fertur & per alvum aut vomitum expellitur.

Magnum periculum, ubi bonæ notæ pus excernitur; ſed ubi ichoroſum & fœtidum eſt, certa ſequitur mors.

Remedia commendantur detergentia & putredini adverſa: ut ſerum lactis cum ſpiritu vitrioli, aut acetoſella paratum.

Ubi

Ubi maxima debilitas, parciori doſi extractum corticis propinari poteſt.

Fluit & pus per venam cavam in ſanguinem.

Si id ſenſim fiat, nec materia penitus a conditionibus boni puris degeneraverit: per urinas, vel metaſtaſes ſalus fieri poteſt.

Sed metaſtaſes hæ raro bonæ ſunt, cum pus ad pulmones delatum craſſitie ſua ægrum ſuffocare, vel acre factum functiones corporis peſſime turbare valeat.

Commendantur ſerum lactis recentis cum acetoſa coctum, juſcula carnium cum ſucco citri vel aurantiorum, vinum Rhenanum, decoctum panis, oryzæ, avenæ cum ſpiritu nitri dulcis, liquore anodyno minerali.

Laudantur & aquæ minerales, quatenus per omnia fere vaſa mobiles abſtergunt, abluunt & per urinæ vias, quandoque per alvum educunt.

Verum magna plerumque debilitas comitari ſolet hunc morbum & obſervant omnes practici, aquas illas, ceteroquin adeo ſalubres, nihil prodeſſe, ubi tam parum

de

de viribus vitalibus in corpore ægro ſupereſt.

Dum abſceſſus extrorſum formatur, is brevi aperiendus.

Si pus æquale, boni coloris, nullum odorem ſpirans exeat: ſpes adhuc ſupereſt; ſecus certe pereunt ægri.

Tumore adparente in illa regione, ubi veſicula fellis locatur, ſedulo inquirendum, an abſceſſus ibi hæreat & an non a tumente veſicula fellea pars elevetur.

Signa diſtinctiva optime deſcripſit Illuſtriſſimus van Swieten, quod ſuppurationem comitetur dolor pulſatorius; horrores vagi frequentiores & diuturniores; quod tumor ab abſceſſu factus non adeo limitatam figuram habeat, neque ſtatim in eo fluctuatio adpareat & quod hæc primo percipiatur in centro tumoris omni reliquo ambitu adhuc duro.

Hepatitidem in ſcirrhum abiiſſe docet tumor, durities, pondus, icterus, reſpiratio difficilis, anxietas, quæ omnia ad paſtum augentur.

Ten-

Teutari poſſunt ſolventia ex ſucco graminis, taraxaci, cichorei, ſi haberi poſſunt: ſecus meraciſſima horum decocta conveniunt.

His non juvantibus vitæ regimen debitum commendandum. Sic per multos annos absque incommodo ſcirrhum ferunt ægri. Cavendum, ne ultro medicamentis ſolventibus irritetur & cancer ſequatur.

Quandoque obſervatum fuit, poſt icterum diuturnum horrendos naſci in abdomine dolores, ſanguinem magna copia ſurſum & deorſum exire: unde animi deliquium & mors. In his veroſimile videtur, cancroſum acrem ichorem vaſa eroſiſſe.



CAPUT

CAPUT XX.

DE

GASTRITIDE.

Ventriculum inflammatum esse constat ex dolore ardente fixo in regione ventriculi, vomitu ad ingesta, anxietate ingenti circa præcordia, siti, singultu, febre acuta continua, quandoque tamen ut in gastritide a venenis nata ob syncopes & doloris vehementiam pulsus debilis & subpressus tangitur.

Inflammatio partium vicinarum, ut hepatis, pancreatis dubiam formant prognosim maxime cum ventriculi situs mutetur in eodem homine, prout magis vel minus flatibus, aut ingestis distentus est & cum miræ varietates in situ ventriculi observentur.

Signum fere pathognomicum, animadvertente Illustri van Swieten, est exacer-

batio doloris ab ingeſtis parca copia ſumptis & talibus, quæ ceteroquin facile fert ventriculus. Si enim in vicinis partibus inflammatio hæſerit, illæ irritantur quidem a ventriculo diſtento, ſed non illico ſentitur doloris exacerbatio, ſi parum ſimul in ventriculum ingeratur.

Rariſſimi enim caſus ſunt gaſtritidis absque vomitu obſervatæ (a).

A muſculis epigaſtrii inflammatis ob loci viciniam, eadem fere, aſt mitiora, excitantur ſymptomata, obſervante Clariſſimo Sauvages (b); ſed tumor eſt plus adparens, ſenſibilitas major ab attactu cutis, minor dolor ab ingeſtis pauca copia ſumptis. In gaſtritide tumor, tenſio, dolor profundior notatur.

Licet hæ inflammationes confundantur; in curatione nullum damnum orietur, cum ſimilis medela requiratur.

Cauſæ

(a) Haller Opuſc. path. Obſerv. XIV. Hiſt. III.
(b) Noſol. Method. Tom. II. Part. I. pag. 470.

Causæ gastritidis variæ sunt: ut inflammatio partium vicinarum; acria ingesta, vomitoria & purgantia drastica, venena; miasma variolosum, morbillosum, arthridis retropulsa; hæmorrhagiæ consuetæ subpressæ.

In cadaveribus febre putrida defunctorum neglecto vomitorio non raro levis inflammatio ventriculi reperitur.

Omnium forte frequentissima causa est potus gelidus, cum directe in ventriculum delabatur, maxime si copiam talis potus a laboribus æstuans homo simul & semel ingurgitaverit: a qua causa post intolerabiles anxietates intra paucas horas mortem vidit Illustris van Swieten.

Hoffmannus plures similes casus recenset gastritidis ab hac causa natæ.

Observavit idem vir Celeberrimus frequentem ventriculi inflammationem ab emetico vel purgante drastico post iram exhibito, quo bilem ab ira, ut putarunt, commotam e ventriculi sinu exturbare voluerunt.

Morbus est valde periculosus, cum remedia vix ingeri possint.

Discrimen augetur pro magnitudine inflammationis & vehementia symptomatum.

Tollitur ut reliqui morbi inflammatorii resolutione benigna, vel in suppurationem, aut gangrænam abit, quæ non raro a spirituosis & stomachicis nascitur.

Cura a venæ sectione larga & audaci inchoanda & pro necessitate repetenda.

Ab ea abstinendum, ubi pulsus debilis, inæqualis, convulsiones, syncope, deglutitio sonora animadvertuntur.

Clysmata antiphlogistica sæpius injicienda. Fomenta emollientia & resolventia regioni ventriculi & factis depletionibus pulsu debili & parvo vesicantia adplicanda.

Commendantur & balnea; sed hæc vix ferent ægri ob anxietates & jactationes frequentes corporis.

Non incongruum erit hoc loco quædam adjicere, quæ morbum præcavent, cum præsens tam difficulter curetur.

Si a fungis venenatis vomitus observetur, subito emeticum propinandum, antequam inflammatio sequatur.

Hoc

Hoc neglecto, datis etiam copiosissimis diluentibus, convulsiones & mortem succedere vidi.

Ubi ab emetico vel purgante drastico vomitus, dolor ad regionem ventriculi observatur: lac cum aqua, jura tenuia, pinguia largissime exhibenda sunt; ut hærens forte adhuc irritans in tunica ventriculi interiori eluatur: quod in homine a granis octo vitri antimonii in substantia exhibitis necato vidit Celeberrimus Fridericus Hoffmannus (a).

Ad præcavendam gastritidem a mercurio sublimato corrosivo sumpto commendat Macbride unciam salis tartari in libris octo aquæ dilutam & affatim haustam (b).

Gastritide præsente decoctum hordei, avenæ, althææ, serum lactis cum pauco nitro convenit.

A majori nitri dosi, ab omnibus acidis, imo acidulis abstinendum: ne irritatio major sequatur.

(a) Opusc. path. practic. decur. II. Differt. VII. pag. 456.

(b) Systematische Anleitung in die Arzneykunde. Zweyt. Theil. pag. 715.

Pro nutritione quidquam vitelli ovi admiſceri poteſt.

Hæc ſæpius, verum parciſſima doſi ingerenda ſunt: ne a ventriculo diſtento major dolor & vomitus oriatur.

Vitanda ſunt paregorica in gaſtritide ad vomitum ſiſtendum: tum quia nonnullis emeſis inde cietur, tum quia in inflammatione opium non convenit ob rationes ſæpius adductas.

In animalibus inde necatis ventriculus inflammatus erat, in cane per ſolutionem opii in jugularem injectam ventriculus & inteſtina valde inflammata reperiebantur, teſtante Celeberrimo Tralles (a).

Fotte olim opium liberalius in inflammationibus propinabatur, quia remedium in quarto gradu frigidum cenſebatur.

Ubi inflammatio ventriculi a metaſtaſi exanthematum orta, ea locum habent, quæ in capit. de miliar. dicebantur.

Illuſtris Vogel in ſimili caſu veſicatorium latum regioni epigaſtricæ adplicare merito præcipit (b). Si

(a) Tom. III. pag. 184.

(b) De cognoſc. & curand. præc. corp. hum. aff. pag. 159.

Si gaſtritis non tam vehemens, ut in gangrænam abeat, nec tam levis ut benigne reſolvatur: in ſuppurationem abit, quæ ex remiſſione doloris, horripilatione, pondere in ventriculo noſcitur.

Vomica rupta pus ſurſum & deorſum evacuatur quandoque cum levamine.

Aliquando, ubi ventriculus peritonæo adcrevit, abſceſſus per integumenta extrorſum rumpitur & fiſtulam relinquit, per quam dein toto reliquo vitæ tempore pars ingeſtorum prodire ſolet.

Nonnunquam ex ulcere hæmorrhagia lethalis & vomitus cruentus.

Ubi ſuſpicio vomicæ natæ, ab initio emollientia conveniunt. Vomica rupta detergentia & conſolidantia.

Sed & hæc parciſſime propinanda, ut & alimenta ne a copioſis his ingeſtis ventriculus diſtendatur & partes, quæ coire inceperant, diſtrahantur.

Victus ex oryza, pane, hordeo, jure carnium imperandus: & clysmata nutrientia ſimilibus ægris utiliſſima ſunt.

Scirrhus præſens noſcitur ex tempore reſolutionis & ſuppurationis elapſo ma-

nente pondere in regione ventriculi & nonnunquam vomitu ab adſumptis.

Scirrhus talis diu manere poteſt: licet pondere & mole ſua partes diſtrahendo plures moleſtias generet. Ubi vero diuturnitate temporis, vel acrium medicamentorum uſu in cancroſam malignitatem vergere incipit: horrendi dolores inde fient.

Si ſcirrhus recens: binæ drachmæ ſaponis veneti per plures menſes quotidie ſumptæ quandoque profuerunt, cum ſummum diſſolvens & mite remedium ſit. Quamprimum vero dolor augeretur inde, abſtinendum & extractum cicutæ tentandum, a quo non raro ſcirrhoſæ indurationes feliciter ſolvuntur.

Proſunt & aquæ medicatæ ſpadanæ vel his ſimiles, quæ mira vi ſolvendi concreta in corpore ſolvere valent, neque interim acrimoniam magnam habent.



CAPUT

CAPUT XXI.

DE

COLICA.

Omnis inteſtinorum dolor colica audit, quæ in varias ſpecies ratione ſymptomatum & cauſarum diſtinguitur.

Hinc alia eſt periodica, epidemica, inflammatoria, bilioſa, pituitoſa, flatulenta, ſpasmodica, ſtercoracea, pictonum. Demum ab hæmorrhoidibus, menſtruis, herniis, vermibus & peregrinis tumoribus colica obſervatur.

Licet tantum de morbis inflammatoriis tractare in animo fuiſſet: tamen hic agam de colica flatulenta & bilioſa, cum ſæpe inflammatoria pro flatulenta habita peſſime tractetur & non raro inflammatoria bilioſam ſequatur; maxime ſi non juſta medendi methodus adhibeatur. Sic Spigelius in omni-

bus colica defunctis inteſtinorum inflammationem reperiit.

COLICA INFLAMMATORIA.

Hæc a cauſis inflammationis ad inteſtina delatis oritur: ut ab aëre, balneo frigido, maxime æſtuante corpori adplicato, a venenis, purgantibus draſticis; evacuationibus ſanguineis ſubpreſſis; ſpirituoſis adſumptis; compreſſione inteſtinorum in herniis; materia acri, dyſenterica, putrida &c.

Clariſſimus Ludwig refert (a): quod ſectiones cadaverum, febribus continuis malignis & exanthematicis exſtinctorum vix non ſemper partes quasdam inteſtinorum inflammatas ſiſtant absque intenſo dolore prægreſſo.

Inter

(a) Inſtit. Medic. Clinic. 155.

Inter colicæ causas non absurde omenti defectus numerandus est; cum ab hoc intestina tegantur, foveantur, ac lubrica serventur.

Frequentius intestina tenuia, quam crassa, animadvertente van Swieten (a), inflammantur: cum hæc ita constituta esse videantur, ut minus facile adficiantur, quam tenuia; cum stercoraceæ materiæ jam subputridæ & acriori servandæ inserviant. Præterea omnia acria ingesta, vel mora in ventriculo aut intestinis talia reddita, primo noxam inferunt tenuibus, antequam ad crassa pervenire possint.

Incipit enteritis cum horrore, succedit dolor adtactu auctus, qui licet fixus maneat, per intervalla tamen immaniter augetur, vel a contentis in intestinorum cavo, vel a flatibus ad locum inflammatum usque propulsis.

Abdomen sensim sensimque increscit cum sensu ardoris fere ignei, pulsu duro & celeri, urina rubra, siti magna. Nonnunquam tamen tenuem materiam per anum

(a) Tom. III. pag. 160.

excernunt ægri, ſed frequentius alvi obſtructio animadvertitur.

Inflammatis tenuibus, nauſea & vomitus vehementius urgent.

Citius autem vel ſerius evomuntur adſumpta, prout inflammatio majori vel minori diſtantia a ventriculo ſedem fixerit.

Colon inflammatum quandoque pleuritidem & hepatitidem mentitur, dum dolor ad coſtas usque aſcendit.

In inflammatione inteſtini recti ſymptomata hæmorrhoidalia occurrunt: ut tenesmus, urinæ ſtillicidium, conſtrictio ani.

Enteritis a nephritide differt per alvi conſtipationem, per ſymptomata ab adſumptis aucta & quod in nephritide urina magis ſaturata ſpectetur.

Prognoſis differt ratione ſubjecti, loci, vehementiæ morbi, ſymptomatum.

Facilius ſanantur craſſa, quam tenuia: cum eorum fabrica forte magis reſiſtat; tum quod inde non tam facile & cito reliquorum inteſtinorum actio turbetur; tum quod per clysmata plus emolumenti ſperari poſſit.

Quo

Quo ſitis major, dolor acerbior &c. eo majus periculum.

Melior eſt alvus ſoluta, quam adſtricta cum vomitu pertinaci.

Periculoſiſſima eſt enteritis in gravidis ob metum abortus, alvi obſtructionem, vomitum & cetera ſymptomata utplurimum vehementiora; cum per extenſum a fœtu uterum omnia viſcera abdominalia comprimantur.

Pulſus debilis, inæqualis; ſudor frigidus; doloris remiſſio absque reſolutione aut critica evacuatione; excrementa tenuia, ichoroſa, inſcio ægro abeuntia; lingua ſicca; ſingultus; oculi caliginoſi; animi deliquia mortem portendunt.

Solvitur enteritis benigna reſolutione; diarrhœa blanda, ſubcruenta, bilioſa.

Inflammatio inteſtinorum craſſorum maxime recti per hæmorrhoides nonnunquam tollitur.

Abit & in ſuppurationem, gangrænam & ſcirrhum.

Cura a larga venæ ſectione incipienda, pro ratione virium & ſymptomatum repetenda.

Soli

Soli pulſui in hoc morbo non fidendum: cum ob acerbitatem doloris non raro parvus & debilis tangatur, licet vires exorbitent.

Si temperamentum, ætas, prægreſſa id ſuadeant: prima venæ ſectio moderata eſſe poteſt; ſed inſurgente pulſu ſubito larga & audax inſtituenda eſt.

Hæmorrhoidibus tumentibus hirudines adplicandæ ſunt.

Poſt venæ ſectionem clyſmata emollientia frequenter injicienda. Licet enim, ſi in tenuibus hæreat inflammatio, ad ea non perveniant enemata: craſſa tamen inteſtina talibus remediis repleta, balneum quaſi præbent omnibus vicinis partibus; adeoque & ſic prodeſſe poterunt.

Rarius contingit tantam eſſe ani conſtrictionem: ut tubulum pro clysmate injiciendo non admittat. In ſimili caſu moliſſimis unguentis anum illinire oportet: vel balneo vaporis, dum ſellæ perforatæ inſidet æger, fovere, donec laxetur.

Primo clysmati mel mercuriale, manna addenda: ut aliquoties purgetur æger

&

& inteſtina craſſa, a fecibus & flatibus diſtenta evacuentur.

Reliqua enemata ex ſolis emollientibus parata ſufficiunt.

Quæ & neceſſaria ſunt, licet ægri alvo ſoluta gaudeant.

Præplacet decoctum ſeminum lini, radicis althææ (Nro. 81.) oleoſis, quæ in plicis inteſtinorum retenta, calore loci rancescentia, acrimonia nocere poſſent.

Venæ ſectio clysmata præcedere debet: cum obſervata doceant, leniſſima tunc promptius operari, quam fortiſſima ante ſanguinis miſſionem.

Inflammatis inteſtinis craſſis, enemata dimidiam libram non excedant. Sic diutius retinentur & minor metus eſt; ne inde magis diſtenta inteſtina plus doleant & patiantur.

Clysmata caute & non nimio impetu adplicanda: cum inteſtina non raro a flatibus diſtenta ſint, qui inde magis in flexuras coli urgentur & id diſtendendo tenuia plus comprimunt.

Fomen-

Fomenta ex ſpeciebus emollientibus & ſapone continuo adplicanda.

Cavendum, ne fomenta ponderoſa ſint & inde dolorem excitent.

Balnea & ſemicupia rarius adhiberi poſſunt: cum ægri ob acerbitatem doloris perpetuo ſitum mutent & frequenter a balneis plus angantur.

Pro remedio interno ſufficiunt emulſa, decoctum ex radice graminis, radice althææ, ſyrupo althææ & ſymphyti edulcoratum. Mel enim & oxymel nonnullis nauſeoſum eſt; hinc iis facile vomitum crearet.

Dicto decocto paucum nitri addendum: ne majori doſi irritationem & emeſin augeat.

Venæ ſectionibus inſtitutis, clysmatibus adplicatis, urgente vomitu, paregoricum per vices, ſed prudenti manu, exhibendum eſt: ut ſpasmi minuantur, vomitus ſiſtatur & locus detur retinendis decoctis emollientibus.

Nonnulli non immerito ab opio per anum injecto certiorem ſperant effectum: maxime, cum quibusdam ab opio ore ſumpto emeſis cieatur.

Pare-

Paregorica, monente Illuſtri van Swieten, haud conveniunt, niſi prius ſanguinis miſſio & enemata adhibita fuerint: ut inflammationis augmentum impediatur. Secus facile contingit, ut gangræna inflammationi ſuccedat.

Si depletionibus factis dolor continuet; pulſus fiat tremulus, parvus, inæqualis: veſicantia abdomini & artubus adponenda ſunt; moderata camphoræ doſis tentanda, quæ clysmatibus ex ſpeciebus emollientibus & floribus camomillæ paratis quoque admiſceri poteſt.

Inflammationem, quæ nec benigna reſolutione, aut critica evacuatione ſolvitur, nec in gangrænam abit, ſuppuratio excipit, ex prægreſſis, horripilationibus vagis, &c. noſcenda.

Facilius curatur ſuppuratio inteſtini recti, cum manibus acceſſus detur.

Abſceſſu in aliis inteſtinis formato, diu clauſo manente, pus mora tenuius redditum in maſſam humorum abſorbetur & cacochymiam purulentam creat.

Si vomica in cavum abdominis rumpatur: diarrhœa ichoroſa, aut febris lenta

ægrum

ægrum emedio tollunt. Si in cavum inteſtinorum: feratur diarrhœa purulenta ſequitur, quæ pro diverſa magnitudine abſceſſus, ejusque varia conditione, citius ſanabitur, vel diutius protrahetur.

Contingit quandoque, ut per tumorem ſuppuratorium, in tunica celluloſa hærentem, ſecedat ſeparata a reliquis tunica interior villoſa & exeat per alvum referens figura ſua cavum inteſtinalem tubum, non ſine ægrorum & adſtantium inſigni metu, qui ipſum inteſtinum ſic egredi, nullamque ſanationis ſpem ſupereſſe putant.

Ubi ſuppuratio naſcitur, emollientia continuanda.

Pro nutrimento ſerum lactis, juſcula carnium propinanda, cui radices ſcorzoneræ, ſiſari, cichorei incoqui poſſunt.

Eadem & conveniunt abſceſſu rupto.

Percolanda ſunt juſcula, ne aliquid craſſi per inteſtina tranſeat, antequam ulcus ſanatum fuerit.

Copioſus dein uſus infuſorum vulnerariorum (Nro. 82.) ex agrimonia, veronica, virga aurea, hyperico indicatur: partim

dem ut humores ad inteſtina delati, maxime bilis diluantur, ne ulcus irritent; partim ut eluatur de ſanguine quidquid de pure collectum hic reſorptum fuerit.

Lac his ægris minus convenit, cum cito aceſcat & craſſas copioſas feces generet: ut in infantibus ſolo lacte materno viventibus manifeſte adparet.

Si magna puris quantitas excernatur, æger emacietur, aut viribus magis magisque labatur: decoctum ex cortice peruviano & agrimonia utiliſſimum eſt.

Cavendum a cortice in ſubſtantia, cum craſſa & dura ſcybala formet.

Ulcere depurato aquæ minerales ferratæ, ut Spadanæ exhibendæ, quæ leniter adſtringendo cicatrizationem loci adfecti promovebunt.

Ubi jam per aliquot dies nullum pus per alvum exire obſervatur, nullusque dolor in abdomine ſupereſt: tunc ſenſim ſolidiores cibi dari poterunt ex hordeo, oryza, pane, carnibus juniorum animalium, &c. donec tandem ad conſuetum in ſanitate victum perveniatur.

Gangræna inteſtinorum raro vel nunquam medelam capit.

Verum quidem eſt pluribus obſervationibus conſtitiſſe inſignem partem tubi inteſtinalis, gangræna corrupti, ſeparatam fuiſſe ſuperſtite, vita imo & ſanitate adhuc ſatis commoda fruentibus poſtea ægris. Semper enim tunc, animadvertente Illuſtri van Swieten, extrorſum patebat via ichori gangrænoſo & manui chirurgi dabatur aditus, ut corrupta auferre poſſet & unire ſeparata: vel ſaltem ſuperiorem inteſtini partem adfigere externo ulceris margini, ut artificioſa ibi pateat excrementis via, quæ in hoc caſu, ſeparata parte gangrænoſa, in abdominis cavum decidere neceſſario deberent.

Cortex peruvianus & camphora per os & anum ingeſta locum habere poſſent: ut in capitibus aliorum viſcerum inflammatorum dictum fuit.

Enteritis, quæ nec benigna reſolutione, critica evacuatione, nec ſuppuratione terminatur, in ſcirrhum abit.

Diagnoſis hujus ex prægreſſis; alvo tardiore; & manente gravitatis, ac diſtra-

ctio-

ctionis ſenſu habetur, inprimis quando ſaltant, vel de gradibus celeriter deſcendunt ægri. Moleſtia augetur a durioribus & copioſioribus cibis ingeſtis.

Quo ſcirrhus in loco a pyloro remotiori hæſerit, eo diutius malum fertur. Demum in volvulum & carcinoma abit.

Cura eſt difficillima. Si enim naſcens ſcirrhus tepore blando corporis interni, ſaliva, ſucco pancreatico, bile utraque huc derivatis, reſolvi non potuit: vix quidquam a remediis ſperandum eſſe concludit Illuſtris van Swieten.

Vitanda ſcirrho adfectis ſunt alimenta aromatica, ſpirituoſa, feces multas & duras generantia.

Vitellum ovi, ſpinachiam, endiviam, ſerum lactis, facillime ferent.

Alvus ſegnior manna cum pauca terra foliata tartari & clysmatibus ſollicitanda.

Tentari poſſunt ſapo, aquæ medicatæ, extractum cicutæ.

Curatis ex inflammatione inteſtinorum cibi tenues & facillimæ digeſtionis parce ſed ſæpius dandi: ut tempus concedatur diſtentis antea ſæpius enormiter inteſtinis,

quo iterum contrahi poſſint & amiſſum robur ſenſim recuperare maxime cum morbus adeo pronus in recidivam ſit.

Superata enteritide ſæpe ægri dolorem obtuſum in loco percipiunt, cavendum a ſolventibus & purgantibus; hoc enim incommodum vel balneis emollientibus tollitur.

COLICA FLATULENTA.

Frequentius hoc morbo laborant hypochondriaci, ſedentarii, gravidæ & alimentis abutentes, ex quibus aër elaſticus majori copia extricatur.

Similia ſunt omnia in fermentationem & putredinem admodum prona, vel in actu fermentationis ſubpreſſa, ut vinum, cereviſia, maxime, quæ cantharis fortiſſimis recluſa tanta vi exſilit & Viennæ Flaſchen-Bier, Buttel-Bier nuncupatur.

In-

Inter alimenta flatulenta & referenda ſunt legumina, farinacea, quia his copioſus aër communis elaſticus intricari poterit inter manducandum, qui deinde calore ventriculi & inteſtinorum rarefactus inde iterum exit.

Cepæ, allia &c. copioſos flatus gignunt; quia & maximam quantitatem aëris continent & acri ſtimulo irritant primas vias, ut ſpasmodice contrahantur.

Ab uvis, præcipue in debilibus & quorum alvus clauſa eſt, ſæpe hic morbus oritur, cum multum aëris contineant. Celeberrimus Zimmermannus caſus refert hominis, chorea ſancti Viti laborantis, qui poſt magnam quantitatem adſumptarum uvarum abdomine undique inflato periit.

Diagnoſis ex prægreſſa diæta, borborygmis & dolore habetur. Qui abdominis peripheriam occupat, a leviori preſſione non augetur, ſed per intervalla recrudeſcit.

Abdomen in colica flatulenta inæqualiter tumet & tumor locum mutat. Levamen a flatibus ſentitur, ſed frequentiſſime nec alvus, nec ſpiritus excernitur.

Quandoque urina ſubprimitur; ſed abeſt ejus ardor, color ruber, mingendi conatus, dolor renum, nec pulſus inflammatorius tangitur.

Nonnunquam levis icterus accedit ab impedita bilis in duodenum evacuatione.

Colica flatulenta raro pernitioſa eſt. Si vero diu inteſtina flatibus diſtentantur, paralytica fieri poſſunt, ut vix ad contractionem naturalem redeant. In tali ſacco adcumulantur ingeſta & varia inde naſcuntur mala.

In actis Academiæ Pariſinæ exemplum habetur hominis, qui cereviſiam non fermentatam ingurgitans omnibus remediis fruſtra tentatis periit, inteſtina incredibiliter diſtenta erant.

Leguntur & exempla gangrænæ colicam flatulentam excipientis: dum inflammatio a ſpirituoſis imprudenter exhibitis oritur, aut nervi vaſaque comprimuntur.

Venæ ſectio non convenit, niſi metus inflammationis eam imperet.

Optimum auxilium ſperandum a clysmatibus.

Pri-

Prima emollientia ex oleo, aqua & melle omni hora injicienda ſunt: ſequentibus uncia una ſalis gemmæ addi poteſt.

Minus conveniunt enemata ex carminativis: cum irritatis inteſtinis pertinacius nonnunquam flatus includantur.

Proſunt poſtea inunctiones ex unguento calendulæ, oleo menthæ, camphora (Nro. 83.) & emplaſtra carminativa ut de cumino (Nro. 84.)

Interne vix præſtantius eſt remedium, ac infuſum ſaturatum ſeminum quatuor calidorum theiformiter hauſtum: cum tepore ſpasmi ſolvantur & grata hæc aromata blando ſtimulo has partes in æquabilem contractionem irritent.

Helmontius jam ſemen aniſi ſolamen inteſtinorum vocavit.

Sed oleum hujus ad guttas quadraginta vel centum exhibere, ut Allen cum ſaccharo ſuaſit, periculoſum videtur.

Omnia aromata, imprimis ſi cum vini ſpiritu deſtillati inde liquores propinentur, niſi ilico juvent, peſſime nocent: cum a nimis valido vel ſæpius repetito horum ſtimulo augeantur ſpasmi & inflammatio faci-

le ſequatur, vel jam præſens plurimum augeatur.

Alvo adſtricta, præcipue ſi ventriculus nimis oneratus fuerit, infuſo (Nro. 85.) ſeminum quatuor calidorum uncia ſemis vel uncia una ſalis amari, Segnetti, thermarum Carolinarum cum effectu additur.

Ubi colicam flatulentam abuſus carnium præceſſit & ructus ova putrida redolentes eructantur: præter clysmata crebriora & ea, quæ de colica bilioſa dicentur, guttæ triginta ſpiritus ſalis dulcis, aut liquoris anodyni mineralis, aliquoties ex aqua ſumptæ proſunt.

Hypochondriacos, hyſtericos medicamenta ex mentha, meliſſa &c. quandoque ſolantur (Nro. 86.)

Quibus periodice levior colica flatulenta redit, iis prodeſſe poterit pulvis carminativus Diſpenſatorii Brandenburgenſis

℞. Semin. carv.
cumin. aa. unc. ß.
zingib. alb. ſcrup. ij.
croc. auſtriac. ſcrup. ß.
m. f. pulv. ſubtiliſſ. doſis ſcrup. j. gr. xxx.

Si

Si ægris alvus ſegnior, drachma radicis jalappæ toti maſſæ addenda.

In ſummo motuum impetu paregorica per os & anum cauta manu ingerenda: cum Baglivius & alii præſtantiſſimi Practici a largiori & repetito opiatorum uſu in colica paralyſin ſuccedere viderint.

Monet & Celeberrimus Tralles (a): ut ii, qui ex tono debili inducto facile irritabiles ſunt & ex leviſſima cauſa, ut diætæ errore, animi pathemate tormina experiuntur, opio non utantur, ne pauxillum, quod roboris ſupereſt, magis infringatur & periſtalſis ac alvus ſegnior naſcatur.

Si colicæ flatulentæ inteſtinorum reſolutio, aut atonia juncta ſit, quod ex cognita ægri natura, majori inflatione & pertinaciori alvi obſtructione noſcitur; abſtinendum ab omnibus aquoſis, oleoſis, emollientibus: verum frictiones, clysmata ex cortice peruviano, camomilla (Nro. 36.) pilulæ ex extracto corticis reſinoſo, marte, gummi ferulaceis, pipere contuſo (Nro.

(a) Part. II. Pag. 235.

87.); vel vinum ex limatura martis, cortice peruviano (Nro. 37.) propinandum.

Frequenter nunc a quibusdam roborandi ſcopo exhibetur & aliis martialibus præparatis anteponitur æthiops martialis dictus, qui terra martialis eſt ex vitriolo martis artefacto in aqua ſoluto ope ſalis alcalini fixi præcipitata, cui ex impaſtatione cum oleo lini aut olivarum, ſubſecutaque calcinatione moderata phlogiſton ex reſtitutum fuit.

Eſt igitur crocus martis partibus oleoſis dotatus; unde etiam niger evaſit. Adtrahitur quidem hic pulvis a magnete, attamen ea nullatenus velocitate, ac ferri recenter limati pulvis, ut vel ideo, dum recens, æthiopi huic præferendus ſit.



COLICA BILIOSA.

Colicæ bilioſæ nomine duplicem morbum deſcribunt Autores. Unum ubi bilis per calores &c. acrior facta, aut ex quacunque cauſa copioſus ſecreta in inteſtina tenuia effuſa aut in duodeno diutius retenta dolores creat. Alterum, ubi dolores & ſpaſmi a bile craſſiori, vel a calculo felleo ductum choledochum obſtruente, naſcuntur.

De priori hic agam, de altero inter morbos chronicos ſermo erit: cum teſtante Celeberrimo Tralles (a) ille dolor viæ jure colicæ bilioſæ nomen gerat, qui a calculis felleis excitatur.

Colica bilioſa maxime æſtate invadit & utplurimum viros, adoleſcentes, calore, ira excalefactos adgreditur.

Inglu-

(a) Tom. II. pag. 240.

Ingluvies, abusus carnium præcipue ferinarum, suillarum subrancidarum, tempus anni calidissimum, motus corporis & animi vehementior morbo huic generando favent.

Diagnosin præbent prægressa, urina pauca, ruffa, ructus fœtentes, amarities oris, lingua sordida, nausea, vomitus biliosi, cum siti, calore majori, ac dolore præcipue in regione intestini duodeni.

Nonnullis alvus obstructa est, quidam dejectionibus biliosis fœtidissimis laborant.

Prognosis differt pro ratione ætatis, vehementiæ morbi: senes enim & exhausti plus periclitantur.

Utplurimum majus discrimen, ubi alvus adstricta.

Denique morbus in choleram, aut male tractatus in febrem putridam abire valet.

Cura varia est pro diversitate temperamenti, virium, ac symptomatum.

Ætas juvenilis, hæmorrhagiæ subpressæ, spirituosorum abusus, violentia febris, doloris intensio sanguinis detractionem suadent.

Malo

Malo provecto, viribus fractis, pulſu debili, venæ ſectio vitanda.

Colica bilioſa adfectis clyſmata ex ſpeciebus emollientibus addito melle frequenter injicienda ſunt.

Medicamenta indicantur acidiuſcula, leniter ſolventia, ac alvum moventia, putredini reſiſtentia: ut ſerum lactis tamarindinatum, decoctum ex tamarindis, acetoſa, cum terra foliata tartari, nitro, ſyrupo ceraſorum acidorum &c. (Nro. 2.).

Decoctum hordei, avenæ, cum oxymelle ſimplici, ſyrupo rubi idæi aut acetoſitatis citri edulcoratum, vel ſerum lactis cum ſpiritu vitrioli paratum largiter potandum.

De emeticis in colica bilioſa diſſentiunt Autores.

Mihi nociva videntur in malo ab animi pathemate, vel calore exceſſivo originem ducente. Ubi vero ex ingluvie, vel abuſu carnium ferinarum, ſuillarum morbus natus: in principio ejus, præcipue ſi ingens anxietas & ſenſus ponderis in ſcrobiculo cordis notetur, lene emeticum ex

ipeca-

ipecacuanha & rhabarbaro arridet (Nro. 88.).

In vomitu ita exorbitante, ut vires emungantur, mixtura Riveriana (Nro. 89.) tentanda: dein fomenta ex infuſo vinoſo menthæ, meliſſæ regioni ventriculi adplicanda.

Urgente neceſſitate emplaſtrum de cruſta panis cum opio & camphora ad ſcrobiculum cordis convenit.

Demum paregorica per vices ſed caute exhibenda.

His non proficientibus clyſmata ex ſpeciebus emollientibus & carminativis addito grano uno, aut altero opii injicienda. Verum hic magna cautela opus eſt, ne paralyſis ſuccedat.

Vomitu per hæc remedia fugato decocta hordei, avenæ, acetoſæ ſtrenue hauriendа: quibus, ubi alvus ſiſtet, vires redeunt, lingua tamen ſpurca, urina colorata, abdomen tenſum & inflatum manet, tamarindi, cryſtalli tartari addi poſſunt, ut bilioſum in cavo ventriculi & inteſtinorum adhuc contentum evacuetur.

Cum

Cum hæc colicæ ſpecies crebro revertatur, debellato morbo pinguia, aromatica, ſpirituoſa evitanda; alimentis alvum leviter moventibus, bilem corrigentibus utendum: ut fructibus horæis, ſpinachia, endivia, ſcorzonera &c.

Quandoque morbo ſuperato appetitus imminutus, tenſio quædam in regione ventriculi & duodeni notatur, ægri magis flaveſcunt. Iis decocta vel ſucci ſolventes & aquæ minerales utiliſſimæ ſunt: ut Selteranæ, Ruitſchenſes cum vino Auſtriaco.

Si vires magis langueant: pilulæ ex ſapone veneto, extract. amoricantibus gummi ferulaceis, floribus ſalis ammoniaci martialibus, extracto rhei locum habent.



CAPUT

CAPUT XXII.

DE

ILEO.

Pertinaciſſima alvi obſtructio cum vomitu Arabibus paſſio iliaca, recentioribus ileus & perperam volvulus audit; cum ileus absque convolutione vel introſuſceptione & hæc absque ileo occurrat.

Morbus hic inter inflammatorios locum habere videtur: cum vel inflammationem ut cauſam agnoſcat, vel illam brevi producat.

Williſius in omnibus ileo defunctis inteſtina inflammata & ſphacelata reperiit. Clariſſimus Simſon teſtatur (a) ſe magnum numerum aperuiſſe hoc morbo mortuorum, ſemperque inveniſſe validam inflammationem inteſtinorum.

Parum

(a) Medical eſſays Tom. V. Part. II. pag. 664.

Parum ad curam refert, an ab antiperiſtalſi, an a ſolo motu diaphragmatis & muſculorum abdominalium dichrono & reciproco, ut Haguenot voluit, ileum repetamus.

Sufficiat, quod ea ileum producant, quæ diametrum canalis a ventriculo ad anum usque multum minuunt, aut integre obturant.

Talia ſunt inteſtinorum præcipue ilei, peritonæi, muſculorum abdominalium inflammatio, tubi inteſtinalis calloſa craſſities, ejus anguſtatio a fecibus induratis, exſiccatis, nidis vermium, calculis vel ibi natis, vel ex hepate eo delatis, a glutine inſpiſſato, indurato, abſceſſibus, ſcirrhis, carcinomate.

Denique anus non perforata in infantibus; hæmorrhoidum ſubpreſſio; colica ſaturnina, venena; parietum inteſtinalium poſt vulnera, ulcera concretio; tumores meſenterii, pancreatis, uteri, ovarii morbum hunc producere valent.

Vidit Friburgi ſupra laudatus Baaderus ante triennium in nobili virgine ileum lethalem ex tumore ovarii dextri inteſtinum

ileum criſtæ oſſis ejusdem nominis adprimentem & cavum inteſtini perfecta thlipſi delentem.

Frequens cauſa ilei hernia eſt. In gravidis non raro inteſtina tenuia in annulo, vel umbilico ſine ullo tumore extus ſenſibili ſtringuntur.

Legitur & in Transactionibus Anglicanis ileus natus a ſpasmis motibusque convulſivis diaphragmatis & muſculorum abdominis, quibus inteſtini coli pars in illum hiatum urgebatur, qui inter muſculorum diaphragmatis appendices eſt & per quem naturaliter nervi intercoſtales deſcendunt.

Convolutionem inteſtinorum plurimi, ut & Illuſtriſſimus van Swieten in dubium vocant, cum vix concipi poſſit: quomodo inteſtina meſenterio adnexa ita circumtorqueri valeant, ut cavum illorum inde clauderetur. Teſtatur quidem Ruyſchius: quod id putrefacto prius meſenterio viderit, adeoque nexu illo ſoluto hoc fieri poſſet: verum tunc prius a gangræna meſenterii jam mortem ſequi exiſtimant, cum ejus læſiones adeo periculoſæ ſint. Interim ſimiles caſus

apud

apud Platerum, Lazarum Riverium, Barbette leguntur.

Inter causas ilei numeratnr & introsusceptio intestini, dum portio spasmo contracta, tenuis & angusta reddita in contiguam ejusdem intestini partem sæpe ad notabilem longitudinem ingreditur, sicque liberum transitum per cavum intestini intercipit.

Illustr. Hallerus innoxiam intestinorum introsusceptionem credit & huic degenerationi minime ileum tribuit (a).

Notat & Illustris van Swieten in brutorum viventium intestinis incassum tentatum fuisse morbum hunc imitari & quod in cadaveribus difficulter efficere possimus, ut intestini pars proximam ingrediatur. Subjungit tamen idem Vir Celeberrimus: quod autopsia docuerit hoc factum fuisse, imo frequentius quam vulgo credi solet.

Neque semper superior pars inferiorem ingreditur, sed & contrarium observatum fuit.

(a) Opusc. path. Obs. XXVII.

Incipit ileus cum obſtructione alvi, dolore abdominis maxime circa regionem ilei, qui ſucceſſive augetur, in principio per intervalla affligit, dein fixus urens in eadem parte perſiſtit.

In loco dolente tumor quandoque adparet renitens, oblongus, chordam tenſam referens: unde & chordapſus dicitur.

Accedit pertinaciſſima alvi obſtructio, conatus ad vomitum, dein vomitus ipſe alimentorum ultimo ſumptorum, bilis, materiæ putridæ, demum clysmatum, fecum, ſubpoſitoriorum: ut Celeb. Gorter (a), Gaubius (b) & alii obſervarunt.

Multis difficile imo impoſſibile videtur, quomodo ex craſſis contenta venire valeant in ileum inteſtinum, uti etiam quomodo locum illum, in quo volvulus hæret, ſuperare potuerint. Verum ſi conſideretur inverſo hoc periſtaltico motu ileum evacuari, cœci finem quam maxime urgeri & latera ejus diſtrahi: adparebit, & hoc fieri poſſe.

Cele-

(a) Prax. medic. ſyſtem. pag. 216.
(a) Inſtit. pathol. Medicinal. pag. 440.

Celeberrimus de Haen exemplum refert tympanitici volvulo defuncti, in quo coli, cœci, ileique diameter adeo aucta fuit, ut valvula Bauhini ne tertiam forte aperturæ partem tegeret.

Ileus ab inflammatione ortus ex præcedenti capite intelligitur.

Scirrhum adesse suadent: si æger antea de ponderis sensu in loco fixo conqueratur; si per longius tempus vix alvum deponat; si summe angatur & revomat, quæ hoc tempore sumpserat absque stercoreo illo odore adparente in his, quæ vomitu rejiciebantur.

Signa introsusceptionis incerta sunt: eam vero suadent, si nulla alia causa præcessit; si dolor magnus, continuans diu in eodem loco immutatus hæreat & si ibidem major expansio cum aliquo motu notetur.

Prognosis semper anceps, maxime in exhaustis & ætate provectis.

Recidiva, quæ frequens, periculosior.

Ileus ex inflammatione paucis diebus jam lethalis. Secus observata nos docent per plures septimanas durantem hunc morbum curatum fuisse.

Tremor, deliria, ſingultus, convulſiones, diarrhœa ichoroſa, extremorum frigus infauſti ſunt ominis.

Iliaci utplurimum gangræna pereunt. Sed non raro ſuffocati moriuntur: dum a dolore, ſpasmisque abdominis actio diaphragmatis & muſculorum abdominalium impeditur & inde ſanguis in pulmonibus accumulatur.

Aretæus quoque notavit, quod ſolus dolor in paſſione iliaca ſæpius necet.

In infantibus acerbitate doloris convulſis, dum ab acri materia inteſtina irritantur, mors ſequitur, antequam inflammatio aut gangræna naſcatur.

Si alvus ſolvatur, bonum ſignum. Sed & hæc non ſemper ſuperatum malum ſignificat, cum ex loco magis inferiori eam excernere poſſint ægri.

Cura varia eſt pro ratione cauſæ &c.

Ileus ab inflammatione tractandus, ut in cap. de colica dictum.

Venæ ſectio in omni fere ilei ſpecie neceſſaria ob metum inflammationis.

Con-

Conveniunt quoque fomenta, balnea & clysmata emollientia. Dein ad enemata acriora descendendum.

Efficacissimus est fumus tabaci omni hora aut altera ano immissus.

Experientiæ & rationi contradicere videntur ii, qui hæc enemata rejiciunt & ea tantum fabris ferrariis ad sanandos equos concedunt (a).

Instrumentum optimum descripsit Clarissimus Schæffer (b).

Nonnunquam incassum adhibitis clysmatibus ex nicotiana tartarus emeticus ad quatuor vel sex grana ano injectus profuit.

Si forte obstaculum quoddam immissioni fumi sese offerret: videndum, num non feces obturent intestinum rectum, quæ convenienter removeri deberent.

Laudantur & purgantia interne sumpta.

(a) Encycloped. Tom. III. pag. 587.

(b) Der Gebrauch und Nutzen des Tabackrauchsklystiers nebst zweyen dazu bequemen Maschinen 1766.

Inter drastica celebres olim fuere pilulæ iliacæ Rhasis, quæ colocynthidem, scammonium, sagapenum recipiebant. Sydenhamus substituit massam pilularum cochiarum in aqua menthæ solutam.

Verum similia vix propinanda ob inflammationem facile succedentem.

Uncia salis amari in libris binis aquæ soluta, vel sal thermarum Carolinarum ex jusculo sumptus non raro cum successu exhibetur: si singulis quinque aut sex minutis duo cochlearia propinentur.

Si vomitus aut dolor admodum urgeat: venæ sectione & clysmatibus præmissis, suadente van Swieten ad paregorica confugiendum.

Mead anodyna purgantibus mixta exhibenda vult. Verum melius est, observante Celeberrimo Tralles, opio purgans subjungere: necessitate postulante purganti iterum paregoricum substituere, sicque alternis vicibus pergere sub attentione debita, an, quando & qua dosi hoc vel illud exhibere expediat.

Merito quoque in ileo laudantur temperata vesicantia abdomini adplicata.

In

In mutuo inteſtinorum ingreſſu ſuadentur globuli plumbei deglutiendi.

Qui varios inteſtinorum gyros conſiderat, ſatis intelliget: non tantum boni exſpectari poſſe in ileo a globulis plumbeis ſclopetariis, ac quidem multi crediderunt.

A parvis globulis plumbeis (Schrott) inter plicas ilei morantibus ſphacelus in illo loco obſervabatur, reliquis inteſtinis & ventriculo illæſis (a).

Commendatur & a claris in arte medica viris argenti vivi uſus: licet eum improbaverit Sydenhamus.

Cum enim admodum penetrabile & poſt aurum ponderoſiſſimum ſit, poterit quandoque expedire vias animadvertente van Swieten.

Exhiberi ſolet præmiſſo & deſuper hauriendo aut juſculo pingui aut hauſtu oleoſo; incipiendo a libra ſemis adſcendendo ad libras duas, tres.

Tutiſſime majori copia ſumitur, tunc enim collectus manet, facilius citius per alvum elabitur. Ubi diu hæret in corpore

(a) Act. natur. curioſ. Vol. X. pag. 22.

& per venas bibulas inteſtinorum ſanguini miſcetur: alia mala producere valet.

Fridericus Hoffmannus libram ſemis puriſſimi argenti vivi dato prius pingui juſculo & ſuperpotato dein brodio carnis, cum aliquot unciis olei amygdalarum exhibuit. Poſt quinque horas alvus ſolvebatur & ſimul uncia circiter argenti vivi exibat cum levamine omnium ſymptomatum. Per quatuordecim dies & ultra fecibus alvinis permiſta adparebat portio argenti vivi. Verum reſtauratis jam viribus tremor in artubus & impotentia in manibus ultra menſis ſpatium manebat (a).

In Anglia & Scotia (b) panaceæ fere inſtar laudabatur: ſi mane uncia una aut altera argenti vivi ſumeretur, quod multi fecerunt per plures hebdomadas absque ulla ſenſibili evacuatione aucta. Interim tamen conſtitit, quod licet non ilico nocuerit, poſtea tamen damna intulerit.

Miri

(a) Med. ratio Tom. IV. Part. II. pag. 335.
(b) Medical eſſays Tom. III. pag. 387.

Miri & insuperabiles morbi illorum, qui argentum vivum quotidie ad sua artificia adhibent, caute hic procedendum esse satis evincunt.

Cum signa pathognomica deficiant, ex quibus cum certitudine concludere possimus; an volvulus adsit & si adest, an pars superior in inferiorem, an inferior in superiorem intrusa sit: eventus horum remediorum semper fallax erit, imo in eo casu, ubi pars superior intraverit, vix non semper lethalis; cum malum augeat protrudendo intestinum susceptum ulterius in proximam partem dilatatam.

Parum quoque ponderosum hoc fluidum efficere valet, si intricata aut nodosa in aliquo loco implicatio adsit. Et in ileo ab hernia incarcerata magis nocere, quam prodesse videtur.

Hinc omnia tendanda, antequam metalla hæc exhibeantur.

Extollitur a multis in ileo aurum fulminans, damnatur ab aliis. En paucis, quæ sentio.

Aurum in aqua regia solutum, mediante sale alcalino præcipitatum pulverem

exhi-

exhibet, ſive calcem luteam metallicam exhibet, ſive calcem luteam metallico ſalinam, quæ ſponte exſiccata leni ignis, radiorum ſolarium calore, aut ſolo adfrictu omnia ei reſiſtentia ſumma cum exploſione & adſtantium periculo disjicit. Aqua regia ad hunc proceſſum ſecundum Diſpenſatorium Viennenſe parata eſt ſpiritus nitri tantam continens ſalis ammoniaci copiam, quantam ſolvere, ac frigide ſolutam retinere valet.

Credebant nonnulli hanc auri calcem fulmine ſuo inferiora tantum concutere & theoria hac ducti id in pertinaciſſimis alvi obſtructionibus exhibebant.

Verum conſtat remedium hoc non ſolum inferiora verſus, ſed in omnem partem æqualiter fulmineum ictum exercere, cunctaque corpora ei reſiſtentia ſubito disjicere.

Dum inflammatur, majori quidem impetu in partes plus reſiſtentes agit. Verum ſi in corpore noſtro id præſtaret, citius membranacea inteſtinorum ſtructura creparet, quam ut impedimentum tolleretur.

Quare

Quare calcem hanc metallico ſalinam virtute diaphoretica, ſubinde etiam purgante præditam venenis quidem non æquiparandam, inefficacem vero ad pertinaciſſimam illam alvi obſtructionem ſolvendam cenſeo.

Hinc cum tutiora, certiora & minus pretioſa pharmaca poſſideamus, hoc facile carere poſſumus.

Vidi hoc remedium ſæpius ab aliis, ſed ſemper fruſtra exhibitum.

Non ſine voluptate recordor amici in Illuſtriſſima domo decumbentis, qui ſyſtemate nervoſo admodum mobili præditus ex leviori animi pathemate & diætæ errore, dolore circa & ſupra umbilicum correptus fuit cum validiori alvi obſtructione, inappetentia, urina magis tincta &c. Dum vocarer, clyſma ano injiciendum & decoctum ex radice graminis, addito ſemine aniſi cum ſale mirabili Glauberi & ſyrupo quinque radicum aperientium ſummendum ſuaſi. Inde nec ſymptomata minuebantur, nec alvus ſollicitabatur. Altera die abdomen magis tenſum, dolor vehementior, ructus frequentiores. Repetebantur clysmata, abdomini

domini fomenta adplicabantur, aqua laxativa cum ſale amaro exhibebatur. Verum augebatur dolor, ſitis: hinc ad inflammationem præcavendam pulſu ſat pleno vena bis ſecabatur & ſanguis levi cruſta tectus educebatur. Accedebat vomitus adſumptorum & materiæ bilioſæ cum exacerbatione doloris. Recurrebam ad opium, cui purgantia ſubjungebam; balneo æger immergebatur, ſed incaſſum. Propoſueram binis Medicis in conſilium vocatis enemata ex fumo nicotianæ. Annuebat unus horum, Vir in arte Clariſſimus: alter vero ſolam ſpem in aurum fulminans collocabat.

Ne pertinaciæ arguerer, tentavi hoc remedium, ſed ſymptomata omnia augebantur cum ſumma virium jactura. Adplicabantur demum & repetebantur enemata ex nicotiana, ita ut fumus per os prodiret, tandem pluries æger alvum copioſam excernebat cum malorum omnium levamine. Sed poſt triginta horas absque minima cauſa redibant dolor & vomitus vehementior longe ac antea.

Clysmata ex tabaco nihil juvabant, ſed abdomen ad crepaturam usque extendebatur.

tur. A paregoricis ſumptis emeſis augebatur. Tulit quidem ſolutionem ſalis Sedlizenſis ſumendo deſuper drachmam unam vini Tokavienſis. Sed alvus pertinaciſſime clauſa manebat.

Balneo ex aqua & lacte ſæpius utebatur. Poſt balneum ſubpoſitoria & clysmata modo acerrima modo emollientiſſima in uſum vocabantur, vapores aquæ calidæ per ſellam perforatam ano admittebantur, abdomen unguento althææ & artanitæ inungebatur, oleoſa interne tentabantur; ſed malum altas adeo radices agebat, ut pulſus jam tremulus, parvus, inæqualis eſſet, oculi caliginoſi, vox deficiens, facies cadaveroſa. Accedebat ſingultus, extremorum frigus.

In lethali hoc ſtatu nullum mihi ſupererat remedium, quam cucurbitæ majores: ſed has media reperire nocte nemo ſciebat. Bona fortuna vaſa fictilia (porcelaine) ex quibus abſinthiten haurire hic ſolent cucurbitis non abſimilia vidi, quæ urgente neceſſitate adplicari juſſi. Mox inde notabile ſenſit levamen æger & adpoſitis pluribus alvus copioſiſſima cum abolitione omnium

ſympto-

ſymptomatum ſequebatur. Continuabam tamen per aliquot dies enematibus & infuſo camomillæ cum ſale thermarum Carolinarum.

Morbo ſuperato vox rauca manebat, quam colicæ frequenter ſuccedere obſervavit Baglivius. Dein ſputa purulenta copioſiſſima ejecit, quæ decocto corticis peruviani & lichenis islandici cum lacte cedebant. Amiſſum robur pilulis ex extracto corticis aquoſo & reſinoſo, extracto martis & rhei brevi reſtaurabatur, ut hodiedum integerrima gaudeat valetudine æger.

Feliciſſimos recenſet effectus Expertiſſimus Gallesky (a) ab oleo lini recenter preſſo, pellucido, parum citreo, non acri, aut profunde flavo. Omni hora vel bihorio cochlear hujus ex cereviſia calefacta, vel cum guttulis aliquot olei aniſi mixtum exhibuit, præmiſſis ad vomitum ſedandum opiatis, injectis ſimul clysmatibus. Quod ſi excretio alvi incepit doſin imminuit & dein bis vel ter cochlear continuandum juſſit.

(a) Abhandlung vom Miſerere.

jussit. Raro ultra octo uncias exhibuit: nonnunquam tertium cochlear jam voto respondit etiam in illis casibus, dum quasi feculenta jam ejiciebantur, maxime ubi morbus nephralgiæ calculosæ junctus erat.

Nostris olea hæc nauseosa sunt & ea vel non adsumunt, vel non ferunt, vel vomitus excitatur. In his ab hoc remedio abstinendum.

Suadent nonnulli, ut abdomen discindatur, intestina educantur, volvuli locus quæratur, inventus digitis explicetur, dein intestina reponantur & abdomen consuatur.

Felicem similem casum Celeberrimus Nuckius refert. Verum optime monet van Swieten (a): quod non tam facile determinare quis possit, an volvulus adsit, vel non, neque tam facile cognosci locus possit, ubi hæreat; cum abdomen tensum turgeat & per totum doleat, ubi morbus in perniciem tendit.

(a) Tom. III. Pag. 182.

Quidam ut Alexander Benedictus, Mercatus frigidæ potu ileum ſuperatum referunt. Celeberrimus Home inſperſionem aquæ frigidæ in abdomen, femora & crura nuda ſuadet & alvum inde feliciter ſæpe ſolvi obſervavit. Sed multa in præcipiti periculo recte fiunt, alias omittenda.

Idem de machina Clariſſimi Joannis Videmar Medici Mediolanenſis (a) exiſtimo, qua liquida tanto impetu ano injiciuntur, ut vomitu rejiciantur.

Monente Celeberrimo Unzer omnia prius tentanda: cum hæc machina quandoque prodeſſe poſſit, crebrius vero certam inferre mortem videatur.

In ileo ab hernia repoſitio facienda. Si pars multum tumeat & inflammata ſit: venæ ſectiones fomenta & cum prudentia data clysmata ex nicotiana, opiata locum habent.

Laudantur quidem epithemata emollientia; ſed Illuſtris Vogel ea plus obeſſe, quam prodeſſe credit, dum regreſſum inteſtini

(a) Giornale di Medicina Tom. II. pag. 245.

testini impediunt & flatuum vim ac contentorum putredinem in tumore augent. Hinc fomenta adstringentia ex majorana, abrotano, alumine & aceto vini parata tumori assiduo imponenda præcipit.

His omnibus incassum adhibitis herniotomia est adhibenda.

Sanavi nonnullos ileo ex hernia laborantes, ubi vix ulla spes supererat sanitatis recuperandæ, absque crudeli illa & sæpissime lethali operatione.

Necessitate urgente venæ sectiones repetitæ instituebantur, fomenta emollientissima parti affectæ admovebantur, uncia una salis amari in libris duabus aquæ solvebatur, solutionis hujus omni quarto aut quinto minuto uncia dimidia propinabatur; clysmata modo sola emollientia, modo addito sale amaro adplicabantur. His non sufficientibus tria aut quatuor grana tartari emetici aliquot unciis aquæ diluta ano injiciebantur. Felicior inde eventus erat, ac per clysmata ex fumo nicotianæ, a quibus quandoque nullam alvi solutionem, sed ventrem magis tensum & inflatum ob-

ſervavi. Demum urgente neceſſitate ad opiata, ſed cauta manu confugi. Superato morbo ſæpiſſime oportebat extracto corticis, aqua meliſſæ vires languentes ægrorum erigere, interpoſito aquæ amaræ uſu ad conſtipationem alvi impediendam.

Vidit ſimilem ægrum fere deſperatum hac methodo reſtitutum Cl. Adolphus Murray Profeſſ. Upſal.

Reconvaleſcentibus ex ileo frigus & alimenta, quæ duras feces generant, vitanda ſunt.

Nec iis alvus aut mictus retinendus, monente Hoffmanno.

Herniofis perpetuo bracherium portandum eſt.



CAPUT.

CAPUT XXIII.

DE

NEPHRITIDE.

In nephritide dolor ab initio obtusus, dein acutus pulsans percipitur versus lumbos ad trium circiter digitorum transversorum distantiam a spina dorsi infra tertiam costam ab ima numerando.

Familiaria sunt nephriticis nausea, vomitus, urina flammea, quandoque subpressa.

In malo graviori horror totius corporis, alvi constipatio, anxietas & constrictio præcordiorum, colica, ischuria, convulsio ægros adfligunt.

Stupor cruris, retractio testiculi in nephritide calculosa sæpius, quam in inflammatoria observantur.

Vidit illustris van Swieten quandoque inflammationem renum absque hoc symptomate.

Frequentiorem credit Celeberrimus Hoffmannus inflammationem renis ſiniſtri: cum ob adjacentem flexuram coli flatibus, aut fecibus induratis diſtenti comprimi valeat.

Diſcernitur nephritis a lumbagine inflammatoria, quod in illa æger antrorſum flexus truncum ſine notabili dolore erigat: in lumbagine vero id peragendo atrociter doleat.

Cauſæ præcipue nephritidis ſunt: vis externa, equitatio, concuſſio in rhœda, hæmorrhagiæ ſubpreſſæ, aphrodiſiaca, diuretica adhibita, calculus, materia arthritica, decubitus diuturnus in dorſum, nixus validus, dum renes a muſculis dorſi comprimuntur.

Morbus benigna reſolutione, hæmorrhoidibus, aut urina copioſa craſſa potum cafe dilutiorem referente tollitur.

Non requiritur in nephritide ad judicium formandum, ut urina ſubſideat. Sufficit ſedimentum inæquale & divulſum, cum materies morbi, licet crudior ſit, cum urina exire poſſit, nec opus habeat, ut antea, prout in aliis morbis acutis, ſanguini miſceatur.

Peri-

Periculum variat ratione ſymptomatum, ſubjecti &c.

Subitanea doloris remiſſio, excretio urinæ nigræ cum carunculis, ſudor frigidus, pulſus inæqualis, debilis &c. lethalem formant prognoſin.

Cura a venæ ſectionibus repetitis inchoanda.

Si hæmorrhoides tumeant, ad hirudines recurrendum.

Indicantur & cataplasmata, fomenta, balnea, clysmata emollientia.

Si alvus adſtricta & repletioris habitus æger ſit: purgantia antiphlogiſtica ex tamarindis, manna conveniunt. Secus decoctum ex radice graminis, althææ cum pauco nitro, decoctum hordei cum oxymelle & emulſa ſufficiunt.

Cavendum a diureticis fortioribus, lecto calidiore & decubitu in dorſum: cum hæc febrim & inflammationem augeant, urinam acriorem reddant & humores ad has partes determinent. Veſicantia, quæ in aliis inflammationibus minuto febrili impetu ad locum dolentem cum ſucceſſu appli-

cantur in nephritide ob hanc rationem non conveniunt.

Ubi a calculo morbus ortus: vomitus urget, quo quandoque calculus ejicitur.

Hic aqua calida & mellitis promovendus, qua adſumpta facilius & minori cum anxietate vomunt ægri, ac vacuo ventriculo.

Urgente dolore, ut convulſionis metus, venæ ſectionibus inſtitutis & diluentibus præmiſſis ad opium confugiendum.

Celeberrimus Home in magna inflammatione viarum urinariarum per calculum ſymptomata aucta vidit, ubi ſanguine cruſta obducto laudanum exhibebatur.

Calculo excreto vel a diatheſi humorum, vel a materia ſabuloſa in corpore remanente non raro alius novus iterum generatur & malum prius denuo metuendum.

Varia laudantur lithontriptica, Anglicanum ex ſapone Hiſpanico & calce oſtrearum, opercula limacum calcinata, uva urſi, aqua calcis ex oſtracodermatum calce parata.

Vidi

Vidi quandoque unum, quandoque alterum ægris profuiſſe, frequentius tamen nullum ex his levamen tuliſſe.

Multis, qui arenulas, vel minores calculos per urinam cum moleſtia, ſtranguria & colica ſæpius redeunte excernebant, ſequenti pulvere profui, dum ſingulis vel alternis diebus drachmam abſumerent.

℞. Olei cortic. aurantior. gut. vj.
f. cum ſacchar. alb. unc. ß eleo-ſacch.

cui add.
uvæ urſ. une. ß.
pulv. gumm. arabic. dr. ij.
radic. jalap. dr. j.
m.

Ubi horripilationes prægreſſæ, ponderis gravantis ſenſus, tenſio magna vicinarum partium pus maturum in abſceſſu renali collectum hærere ſuadent: nitendum omni ope, ut vomica rumpatur, ne pus diu relictum putreſcat, ſinuoſa ulcera producat,

cat, vel reſorptum cacochymiam purulentam & tabem faciat.

Hinc clysmata, cataplasmata & medicamenta emollientiſſima exhibenda: dein per tuſſim, ſternutationem, vectionem in rhœda ruptura abſceſſus quantocyus tentanda eſt.

Sæpe in pelvim rumpitur & pus per urinam exit, quod ſubito fundum vaſis petit, cum non bene urinæ miſtum ſit.

Pus primo prodiens imprimis, ſi diutius vomica clauſa fuerit, fere ſemper fœtidum & quandoque ſanguinolentum eſt.

Si ſubſequens leve, æquale, album ſit: ſpes multa adfulget ſanitatis recuperandæ.

Quo magis ab his qualitatibus recedit, eo pejus.

Dum pus per urinam excernitur, emulſa; ſerum lactis, lac aſininum, decoctum agrimoniæ, virgæ aureæ, aquæ Selteranæ cum anatica parte lactis largiter haurienda ut mitigetur urinæ acrimonia ulcus adluentis.

Conveniunt dein balſama nativa.

Meri-

Merito commendat Illuſtris van Swieten ſequentes pilulas:

℞. Succ. glycyrrhiz. inſpiſſat. unc. j.
Balſam. copayb. dr. j.
f. pilul. gr. iij. ſumendæ num. viij. omni quadrihor. ſuperbibendo ſerum lactis vel decoctum vulnerarium.

Balſama largiori doſi & absque diluentibus datis nimis calefaciunt & ſtimulant, imo ſtranguriam moleſtam producunt & urinæ vias imprudenti uſu inflammant.

Dictorum remediorum uſu pergendum donec nullum amplius pus in urina adpareat, tunc roborantia & conſolidantia, ut maſtiche, olibanum, ſarcocolla in uſum vocare convenit.

Memorabilem anno 1772 ſuppurationis renum curatæ caſum habui in Chirurgo, cui munificentia Auguſtæ remedia exhibebantur.

Ex inflammatione renum ab hæmorrhoidibus ſubpreſſis in ſuppurationem incidit; pluribus menſibus varia incaſſum reme-

media ſumpſit & malum altas adeo radices egit, ut eum accedens tabidum, ſumme febricitantem deprehenderem.

Excernebat quotidie cum urina magnam puris fœtentis quantitatem. Siti, ſtranguria, tenesmo, alvo obſtructa laborabat æger. Primo decoctum ex cortice peruviano & agrimonia exhibui. Decoctum lichenis islandici cum lacte & aqua pro potu erat. Clysmata emollientia ano injiciebantur. Ob noctes inſomnes, anxietates & dolores colicos paregoricum propinabatur.

Minuebatur ab his febris & materiæ purulentæ excretio: vires parum redibant.

Tranſivi ad pilulas ex ſarcocolla, maſtiche, gummi arabico, balſamo copaybæ; ſed ſub uſu horum valida iterum incendebatur febris, quam omiſſis balſamicis, decocto corticis & emulſionibus largiter ſumptis denuo debellavi. Verum continuabat æger magnam puris quantitatem excernere cum ſumma virium proſtratione & corporis extenuatione. Hinc relictis his omni nycthemero ſequentem mixturam adſumpſit.

℞. Aqu.

℞. Aqu. flor. rhoead. lib. j.
extract. cort. peruv. resinos.
gumm. arab. aa. dr. ij.
pulver. uvæ urs. dr. j.
syrup. papaver. alb. unc. ij.
m.

superbibendo aquam calcis cum tripla lactis portione.

His longo tempore usurpatis omnia symptomata minuebantur. Hinc pilulas ex mastiche, uva ursi, balsamo copyabæ & extracto corticis peruviani resinoso denuo præscripsi, quibus & aquis Spadanis integræ sanitati restitutus fuit.

Quandoque ubi ren intestino colo adcretus, hoc perforato pus per alvum exit. Ea tunc indicantur, quæ in suppuratione intestinorum laudabantur.

Nonnunquam abscessus versus exteriora fit, qui licet aperiatur, sæpissime fistulas relinquit.

Ante sex annos jnvenis febre lenta corpus depascente Nosocomium petiit, genæ ejus rubebant, sitis erat ingens, dolor in

regio-

regione lumborum & per universas vias urinarias acerbus, qui mingendo valide augebatur; urinam excernebat paucam, ruffam, valde fœtentem cum copiosissimo pure mox fundum vasis petente. Nullo modo aut causam aut historiam morbi ex ægro stupido & leviter delirante expiscari licuit. Varia tentabantur remedia, decoctum salep, emulsa, decoctum corticis peruviani cum virga aurea, agrimonia, aqua calcis cum lacte &c. sed omnibus incassum datis periit.

Suspicabar suppurationem in viis urinariis, verum anatomico cultro subjectum cadaver nihil in iis morbosi exhibuit, sed tela cellulosa universi fere corporis pressa pus fundebat.

Si post tempus maturationis elapsum dolor & febris cessant, atque tumor durus cum dolore pressorio remanet, urina pauca aquosa excernitur: scirrhum immedicabilem fere natum noscimus.

Inde claudicatio, paralysis pedis lateris adfecti a musculo psoas & nervis ad artus inferiores ex medulla spinali compressis.

Occur-

Occurrunt quidem aliorum adhuc viſcerum inflammationes: ut lienis, meſenterii &c. Sed de his in ſeparato agere ſuperfluum videbatur, cum facile ex prioribus intelligantur.

CAPUT XXIV.

DE

RHEUMATISMO.

Rheumatismi nomen rarius occurrit apud veteres Medicos: ſed dolores omnes artuum, ac externi corporis arthriticos vocarunt.

Ipſe Boërhaavius in prima aphorismorum ſuorum editione nullam rheumatismi mentionem fecit.

Recentiores eum definiunt dolorem atrocem, dilacerantem; ad minimum motum ſæviſſime auctum; juncturas artuum obſidentem; genubus, lumbis & coxendici

magis

magis infeſtum; quandoque cerebrum, pulmones & reliqua viſcera excruciantem.

Periodicus itus & reditus, qui a Boërhaavio definitioni adjicitur, non ſemper animadvertitur.

Rheumatismus quandoque univerſum fere corpus adficit: quandoque partem tantum occupat.

Dolor ingens, fixus circa regionem lumborum ad os ſacrum deſcendens, nonnunquam ipſos renes, ureteres & veſicam petens lumbago rheumatica audit. Similis dolor coxam occupans malum iſchiadicum dicitur.

De ſede rheumatismi differunt Auctores.

Fridericus Hoffmannus eam collocat in omnibus muſculis, horum membranis, tendinibus, locis inter articulos mediis. Imo articulorum dolores ad rheumatismum referri poſſe judicat: ſi malum ſimul media inter articulos ſpatia occupet, ut muſculos, membranas, perioſteum.

Immortalis Boërhaavius in capit. de rheumatismo non meminit muſculorum & eorum membranarum.

Celc-

Celeberrimus Pringle in rheumatismo dolentes articulos notat.

Verosimile est: quod hic morbus non solum articulos, sed & expansiones tendinosas, aponeuroticas dictas, obsideat, quibus musculi v. g. colli, dorsi &c. teguntur.

Distinguitur rheumatismus in febrilem & apyretum.

De prima specie hoc tomulo tractare animus est: de altera inter morbos chronicos in capite de arthritide agam; cum arthritis & rheumatismus permultas causas remotas tam internas quam externas inter se communes habeant & cum Viris in arte Clarissimis, ut Ludwig (a) & Vogel (b) existimem, rheumatismum ab arthritide parum & nonnisi loco adfectus differre.

Rheumatismus calidus distinguitur in inflammatorium & in eum, quem febris catarrhali similis comitatur.

In-

(a) Instit. Medic. Clinic. pag. 264.
(b) Pag. 367.

Inflammatorius ſanguineos, adoleſcentes; viros, præcipue injuris aëriis expoſitos & inter mulieres agiliores adgreditur.

Vita lauta, ſpirituoſorum abuſus, hæmorrhagiæ ſubpreſſæ, tranſpiratio impedita morbo huic generando favent.

Vix videtur, quod a ſola ſanguinis copia oriatur. Metuendus tamen eſt: ſi in ſanguinei temperamenti hominibus ſimul acris labes adſit. Ideo ab aëre frigido per rimas anguſtas, aut portas obpoſitas intrante facile hic morbus inducitur; dum conſtrictis partibus externis ſubpoſita vaſa ab urgentibus plus humoribus diſtrahuntur & inde dolor naſcitur, quod rubor ac tumor partis adfectæ docere videntur.

Hinc cum articuli & tendinoſæ expanſiones muſculos tegentes in pluribus corporis locis non multum a cute remota ponantur, in quam ſubito admiſſum frigus agit; intelligitur ratio: quare toties in illis rheumatismus contingat.

Ob eamdem rationem autumno & vere frequentior hic morbus; dum calidos dies frigidæ excipiunt noctes.

Alii

Alii viſcidam ſanguinis denſitatem rheumatismi inflammatorii cauſam exiſtimant.

Inchoat rheumatismus inflammatorius cum rigore, febre, ſequuntur dolores aut vagi, aut in uno loco ſedem figentes, qui non raro intumeſcit & tactu dolet, quandoque nullus tumor notatur.

Pulſus horum ægrorum celer eſt, plenus, durior; ſitis major; urina rubra, quandoque craſſa, turbida, fœtens, ardorem excitans.

In junioribus, animadvertente Illuſtri Vogel (a), adfectus rheumatici magis caput, pectus, ſcapulas, humeros, manus & dorſum petunt: in viris & ſenioribus dorſum & coxas cum femoribus. Sub reverſionibus autem ad interiora tendentibus, in illis iterum magis caput, fauces & thoracem: in his hypochondria, inteſtina, renes & veſicam quærunt.

Rheumatismus fixus moleſtior, vagus periculoſior eſt; cum ſubito quandoque pe-

(a) De Cogn. & cur. præc. corp. hum. aff. p. 369.

reant ægri, dum materia ad partes nobiliores ut cerebrum & pulmones fertur.

Majus discrimen & cura difficilior in senibus, quam in adolescentibus & mediæ ætatis hominibus.

Quo validior febris, a quo malum hoc incipit: eo plerumque acrior dolor & molestior totius morbi decursus.

Raro in abscessum abit: imo manifestæ fluctuationes observabantur, quæ post paucos dies dissipabantur.

Rheumatismus inflammatorius sæpe in chronicum desinit.

In partem, quæ sæpius & diutius rheumatismo adfecta fuit, morbus promptius postea revertitur. Quia vasa crebrius vel diutius distracta labefactantur & facilius cuilibet vi ingruenti cedunt.

Levior morbus transpiratione insensibili terminatur: gravior sudore, urina, alvo & hæmorrhagiis solvitur.

Morbus ischiaticus quandoque hæmorrhoidibus sponte fluentibus levatur.

Cura varia est ob diversas causas symptomata & indolem mali.

Levior

Levior morbus ſolis diluentibus, tepidis & moderato regimine calido ſanatur.

Pulſus plenus, fortis venæ ſectionem in parte maxime vicina petit, repetendam, donec mollior fiat & febris impetus minuatur.

Frequenter ſanguis eductus, ut in pleuritide cruſta inflammatoria tegitur.

Laudatur a quibusdam hirudinum ad limbum tumoris inflammatorii adplicatio.

Eam vix ferent ſenſiles & delicati; cum a minimo adtactu dolor ſæpe immaniter augeatur.

Commendantur & fomenta emollientia, leniter ſolventia ex ſpeciebus decocti emollientis addito ſapone veneto. Verum ſi talia ob acerbitatem doloris ſuſtinere nequeant: vapores aquæ bullientis ad partem adfectam determinandi.

Cavendum a ſpirituoſis, camphoratis, frigidis, quæ partes magis conſtringunt.

Alvus ſilens clysmata antiphlogiſtica petit.

Interne mixtura ex aqua florum ſambuci, aceto, rob ſambuci cum multo ſale polychreſto aut nitro largius exhibenda.

Expertiſſimus Brocklesby (a) in rheumatismo inflammatorio incipiente præmiſſa venæ ſectione in libra una decocti avenæ drachmam unam nitri puri ſolvit, atque ægris ſex, octo, duodecim libras de die propinavit. Continuato hujus remedii uſu per tres, quatuor dies, copioſiſſimo orto ſudore ſanabantur.

In morbis acutis inflammatoriis largo uſui nitri ſatis indulſit Illuſtriſſimus van Swieten: unciam ſemis, imo drachmas ſex intra viginti quatuor horas dedit ſæpius; ſed ſemper curam habuit, ut magnam diluentium copiam ſimul ſumerent ægri. Nihil metuebat a vi refrigerante nitri, cum ſciret illam tantum obtinere eo tempore, quo nitrum ſolvitur: evaneſcere ſatis cito, poſtquam nitrum ſolutum eſt.

In numeroſis rheumatismo adfectis, qui in praxi mea occurrebant, ſufficiebat uncia dimidia nitri nycthemero adſumpta. Neque alii Clariſſimi Medici, ut Expertiſſimus Monro in exercitu Anglorum medici-

(a) Oeconomic. and Medical obſervations. p. 116.

dicinam faciens, ad largam adeo nitri copiam, ut ſupra laudatus Brocklesby, adſcenderunt.

Præſtantius in adfectibus rheumaticis non inveni remedium, ac rob ſambuci, quod ad tres, quatuor uncias de die exhibitum humores absque motus augmento ſolvit & corpus ad diaphoreſin, diureſin & alvi excretionem diſponit.

Utiliter mixturæ priori aliquot unciæ pulpæ tamarindorum adduntur; ut indies aliquoties alvus moveatur: cum ſpontanea diarrhœa non raro inſigniter proficua in hoc morbo obſervata fuerit.

Ubi laute viventes rheumatismo inflammatorio corripiebantur, in principio mali vix levamen obſervavi, niſi a crebrioribus alvi dejectionibus.

Sydenhamus purgantia ab initio exhiberi noluit; ſed id de fortioribus, corpus turbantibus & excretiones per ſudorem, urinam impedientibus intelligendum, quæ ſub finem morbi accedentes cum utplurimum integre tollunt.

Ubi febris impetus minutus eſt: a purgantibus abſtinendum, ne corpus nimium debilitetur.

Pro potu decoctum avenæ, hordei, radicis graminis cum oxymelle & ſerum lactis utiliſſima ſunt.

Cavendum a ſtimulantibus, calidis, aromaticis, ſudoriferis; ne febre inde aucta nobilioris viſceris inflammatio ſequatur, vel ſubtilia educantur, craſſa relinquantur & ita materies acris in parte adfecta magis figatur.

Hinc imitandus non eſt Cl. Dawſon (a), qui methodum improbat, qua febris minuitur & in acuto rheumatismo tincturam volatilem gummi quajaci commendat. Neque intelligo, cur Ill. van Swieten, qui contra rheumatismum inflammatorium in commentariis merito curam antiphlogiſticam laudat, in libello de morbis militum (b) lapides cancrorum, infuſum ſaſſaphras ſuadeat & eccoprotica in quartum usque diem differat.

Cele-

(a) Caſes in the acute rheumatisme, and the gout.
(b) Von den Feldkrankheiten. S. 54.

Celeberrimus Pringle obſervavit ſudorem nunquam profuiſſe in calido rheumatiſmo.

Vitanda quoque opiata, quæ febrim incendunt, alvi excretionem impediunt, ſudorem movent.

Vidi in rheumatiſmo febrem jam ſatis mitem anodynis exhibitis tanta vi recrudeſcere: ut ad venæ ſectionem largiorem denuo redeundum fuerit.

Boërhaavius rheumatiſmo laborans ob ſimilitudinem doloris & propenſionem in vomitum ſe calculo laborare credidit. Opio ſumpto paulo poſt aberat omnis dolor, ſed ſequenti die immanis erat in lumbis, qui per plures menſes duravit.

Conveniunt tamen paregorica iis, qui adeo ſenſibiles ſunt, ut metus convulſionis a dolore naſcitur.

Febre per venæ ſectiones mitigata, dolore tamen & tumore articulorum perſiſtente: ſanguiſugas loco, in quo inflammatio & tumor maxime notabantur, adplicandas vult Celeberrimus Pringle & præcipit, ut deciduis hirudinibus ſanguini ex

vulnere exitus concedatur, donec ſponte ceſſaret ille effluxus.

Si rheumatiſmus ex refrigerio vel ſpirituoſorum abuſu &c. partes externas deſerat & internas petat: morbus naſcitur periculo pleniſſimus. Noſcitur id ex dolore ſubito evaneſcente, deliriis, obpreſſione pectoris & doloribus aliarum partium ſupervenientibus.

Omni opera ſtudendum, ut materia rheumatica ad exteriora iterum ducatur.

Si febris magna, pulſus fortis, durus; audax venæ ſectio inſtituenda; pediluvia imperanda; loca, quæ antea dolebant, tepidis & emollientibus perpetuo fovenda. His non proficientibus ſinapismi acriores, demum veſicantia artubus, vel & urgente neceſſitate partibus antea adfectis adponenda.

Corpus moderate tegendum, decoctum ex radice graminis, floribus ſambuci tepide largiter hauriendum.

Depletionibus factis & moderato febris impetu, levis camphoræ doſis cum pauco nitro utiliſſime exhibetur.

A majori camphoræ quantitate abſtinendum eſſe, Celeberrimus Pringle monet: ne calor augeatur & ſudor exprimatur.

Altera rheumatiſmi calidi ſpecies a catarrho differre videtur: quod hic in ſola membrana Schneideriana hæreat, rheumatiſmus vero partes muſculoſas & membranaceas occupet.

Morbus tenerioribus & debilioribus familiarior.

Adgreditur cum horrore & laſſitudine ſubſequuntur dolores vel in univerſo corpore, vel in una hujus parte, qui ad veſperas potiſſimum augentur. Pulſus celer & debilis tangitur. Accedit ſitis, dolor capitis. Urina vel naturali ſimilis eſt, vel nubeculam diſperſam habet.

Incerto tempore terminatur & longius potiſſimum ſimilis febris excurrit.

Solvitur ſæpe miliaribus; urina cum ſedimento mucoſo; frequentiſſime ſudore æquabili, copioſo, non regimine aut medicamentis calidis expreſſo.

Levius malum moderato corporis calore, tepidis exhibitis, ut decocto radicis graminis, florum ſambuci cum ſyrupo de

dua-

duabus & nitro facile debellatur; ſed ob leves cauſas facile iterum redit.

In graviori morbo, ubi pars adfecta eſt, fomenta ex infuſo florum ſambuci & cicutæ proſunt, vel ſuadente Sarcone (a) extractum cicutæ cum ſucceſſu emplaſtri inſtar adplicatur.

Minor neceſſitas ſanguinem educendi eſt, ac in rheumatiſmo inflammatorio. Ubi vero hæmorrhagiæ ſubpreſſæ, caloris, ac doloris vehementia eam ſuadent: cruor eductus cruſtam multo ſero innatantem exhibet.

Saburra in ventriculo aut inteſtinis hærens leni emetico vel catharctico eliminanda.

Ceterum purgantia minus conveniunt.

Pro medicamento decoctum ex radice graminis, fœniculi, floribus ſambuci cum ſalibus mediis locum habet, cui, ubi magnus calor & ſitis obſervantur, ſuccus citri ad aliquot uncias addendus.

Sal

(a) Tom. I. pag. 107.

Sal polychreſtum & nitrum minori doſi ac in rheumatiſmo inflammatorio propinanda: ne diarrhœa vires emungens ſubſequatur.

Diluentia ex. gr. decoctum hordei cum oxymelle vel ſyrupo de duabus &c. ſtrenue potanda: ut naturæ vehiculum ſubminiſtretur, quo per varias vias materiem morbi eliminare valeat. Ubi his adhibitis minuta etiam febre dolor acerbus urget: veſicantia temperata ad partem adfectam adponenda & tamdiu repetenda ſunt, donec levamen ſequatur.

Tentavit Magnificus Störck (a) ranunculi pratenſis folia in pultem contuſa, quæ partibus dolentibus adplicuit veſicatorii loco. Magnum ſemper dolorem excitavit hoc remedium; dein epidermide in veſicam elevata magna ſeri copia effluxit, quo facto dolores rheumatici penitus diſſipabantur, ſed ulcus a ranunculi foliis productum longe diutius ſtillavit ſerum acre & difficilius curabatur, quam ſi veſicatorium adplicatum fuiſſet.

Si

(a) Ann. Medic. II. pag. 122, 123.

Si pulſus in inæqualem, intermittentem, aut valde debilem mutetur: moderata camphoræ doſis convenit & veſicantia ad femora, vel brachia adplicanda.

Subſultus tendinum, ſopor, oculi caliginoſi amplum veſicans ad nucham poſcunt.

Ubi vires valde proſtratæ & exacerbatio certo tempore animadvertitur: continuatis antea nominatis diluentibus & diaphoreticis, extractum corticis peruviani propinandum.

Secus a cortice peruviano nec febris, nec ſymptomata mitigantur, imo calor augetur & decumbentes de obpreſſione pectoris conqueruntur.

Obſervavit Magnificus Störck in ægris, qui tumore rheumatico univerſali adficiebantur & quorum cutis totius corporis tertio vel quarto die albo tumore elevari & acute dolore cœpit: quod fugata per pharmaca febre omnia membra ſubito detumuerint & materia per totum corpus diſperſa in unum locum confluens ingentes tumores lymphaticos efformaverit.

Fruſta tentata fuere remedia externa diſcutientia & interna ſudorifera, aut diuretica:

retica: unde ſcalpello tumores aperiebantur, quo facto ſerum flavum, viſcidum, leni calore facile inſpiſſandum prodiit.

Vulnera relicta copioſiſſimum ſerum ſudantia conſolidationi pertinaciter reſiſtebant.

Adſtringentibus adplicatis ægri anxii reddebantur & nova oriebatur febris. Demum quater per diem lintea carpta infuſo cicutæ madida adplicabantur: unde poſt paucos dies labia cœperunt coire & intra unam alteramve ſeptimanam firma inducebatur cicatrix.

Tres ſimiles ægri mortui ſunt, quibus ſerum per univerſam corporis ſuperficiem antea diſperſum, ſubito encephalon & pulmones petiit.

Rheumatiſmo febrili decumbentes diæta tenui ex panatella, hordeo, oryza, fructibus horæis utantur.

Caveant a nimiis ſtragulis vel cubilis calore: ſed, ut ſingulis diebus ſuadente Sydenhamo aliquot horis a lecto abſtineant, haud congruum videtur; cum tranſpiratio facile ſubprimatur.

Si

Si poſt rheumatiſmum debilitas, gravitas, aut rigiditas partium maneat: unguenta emollientia vel embrocatio conveniunt.

Utiliſſimum eſt balneum Badenſe ſulphureum, Vienna non longe diſſitum.

Munificentia Auguſtiſſimæ Imperatricis Mariæ Thereſiæ in penultimo cruento bello domus exſtructa fuit: ubi officiales & gregarii milites regiis ſumptibus alebantur & balneo utebantur. Tubi ibidem variæ magnitudinis ſunt, quibus balneum (douche) ad omnes corporis partes facile derivari poteſt. Ab initio ſatis propinque parti adfectæ tubus adplicandus eſt, dein ſenſim ſenſimque removendus, ut majori impetu irruat & ſic adſueti absque doloris ſenſu ferant.

Qui vel ob debilitatem vel ob negotia thermas Badenſes adire nequeunt, balneo artificiali ab Archiatrorum olim Comite de Sorbait multum laudato uti poſſunt.

Eſt vero Thermalis hujus balnei præſcriptio:

℞. Cal-

℞. Calcis vivæ
Sulphuris apyreti ana lib. ß.
Aquæ dulcis vel danubianæ lib. xxx.

præmiſſa unica ebullitione extrahatur per noctem lixivium, altera die fiat balneum plenum cum aqua fluente, ad cujus refrigerium lixivium factum decantetur remanente in fundo pulvere: & ſic balneum factum eſt.

His ſpeciebus, ſcilicet huic in ollæ fundo relicto pulveri denuo ſuperaffundatur aqua ex balneo & calefacto reliquo pro refrigerio reaffundatur: atque ita idem balneum quater uſurpari poteſt ante ſpecierum renovationem. Hoc balneum, monente Clariſſimo Crantz, naturali vix cedit, quin imo ſecundum indicationes pro hoc vel illo infirmo augeri, vel diminui poteſt.

Balnea ſimilia quandoque longo tempore continuanda ſunt & optime monet Celeberrimus Strack (a) thermas noſtras Ba-

(a) De col. pict. maximeque ob arthritidem

Badenſes ſæpius non juviſſe, cum non ſatis iis uſi fuerint ægri.

Rheumatiſmo liberis largior vini uſus vitandus & ab aromaticis, pinguibus, fumo induratis, verbo ab omnibus difficilioris digeſtionis abſtineant.

Nonnulli morbo ſuperato debiles & exhauſti manent, ut metus tabis naſcatur. His cortex peruvianus, lichen islandicus (Nro. 39.) cum lacte prodeſt.

Cum rheumatismus crebro revertatur; ad recidivam præcavendam frictiones leves univerſi fere corporis & induſium laneum immediate ad cutim portandum commendantur.

Ubi pars tantum adfecta fuit, hæc tempore frigidiore cum ſucceſſu pellis leporinæ fruſto tegitur.



FORMU-

FORMULÆ.

Nro. 1.

℞. Tamar. indor. unc. ij.
coq. in lib. jß. aq. com. p. ¼.
colat. add.
Succ. citr. unc. ß.
Mann. unc. ij.
clarif. ſum. omni ½ h. unc. iij.
donec. purg.

Nro. 2.

℞. Tinct. purg. Diſp. Vien.
ſeu ſeri lact. tamarind. lib. j.
Sal. Seignet. dr. vj unc. j.
Syrup. roſar. ſolut. unc. jß.
m. ſum. ut prius.

Nro. 3.

℞. Pulp. Tamar. unc. iij.
Cryſtal. tart. dr. ij.
Syrup. roſar. ſolut. dr. vj.
Sumat ſæpius cochl. donec purgetur.

Nro. 4.

℞. Aq. font. unc. viij.
Nitr. dr. ij.
Mel. mercur. unc. ij.
m. pro clyſm.

Nro. 5.

℞. Decoct. hord. unc. viij.
Suc. citr. unc. j.
Syrup. rub. id. unc. ij.
Sal. polychr. dr. iij.
Nitr. dr. j.
m. ſum. omni bih. 2. cochl.

℞. Aq. rub. id. lib. j.
Suc. citr. unc. j.
Sal. mirab. Glaub. dr. vj.

Syrup.

Syrup. rub. id. unc. iiß.
m. ſum. omni bih. ½. vaſc.

Nro. 6.

℞. Decoct. hord. lib. iv.
Oxymel. ſimpl. unc. iij.
Acet. unc. j.
Nitr. dr. j.
m. ſum. pro libitu.

Nro. 7.

℞. Sem. melon.
—— amygd. dulc. a unc. j.
f. c. aq. l. a. emulſ. lib. jß. add. Nitr.
pur. dr. ß.
Sacchar. q. ſ. ad gratiam.

Nro. 8.

℞. Aq. fl. ſambuc. unc. x.
Roob. ſambuc. unc. ij.
Acet. unc. j.
Sal. mirab. Glaub. unc. ß.
m. ſum. omni bih. unc. j.

Nro. 9.

℞. Rad. gram. unc. iij.
coq. p. ½ h. in ſ. q. aq. comm.
decoct. ferv. infund. p. ⅛ h.
Flor. ſamb. unc. j.
colat. lib. jß. add.
Sal. polych. dr. ij.
Succ. citr. unc. j.
Syrup. 5. radic. unc. ij.

Nro. 10.

℞. Acetoſ. cum toto unc. iij.
coq. p. ¼ h. in ſ. q. aq. col. lib ijß.
add.
Syrup. acetos. unc. ij.
m. ſum. pro libitu.

Nro. 11.

℞. Ceras. matur. ſubacid. recent. lib. ß.
inf. p. ⅛ h. in aq. ferv.
colat. lib. ij. add.
Syr. ceraſ. ſubacid. unc. ij.
m.

Nro. 12.

Nro. 12.

℞. Ribeſ. matur. lib. ß.
inf. aq. conquaſ. colat. lib. iij. add.
Syrup. ribes. unc. ij.

Nro. 13.

℞. Ferm. pan. lib. ß.
Pulv. ſem. ſinap. unc. j.
Acet. q. ſ.

Nro. 14.

℞. Farin. ſecal. unc. iv.
Pulv. ſem. ſinap. unc. iij.
Acet. q. ſ.

Nro. 15.

℞. Aq. comm. lib. ß.
Succ. citr. unc. j.
Extract. cort. peruv. unc. ß.
Sal. polychr. dr. jß.
Syr. acid. citr. unc. ij.
m. ſum. omni bih. 2. cochl.

Nro. 16.

℞. Cort. peruv. rud. tus. unc. jß.
coq. in aq. com. lib. ij. ad rem.
unc. xvj. colat. add.
Syr. berb. unc. ij.
Tart. vitriol. dr. jß.

Nro. 17.

℞. Mosch. gr. iv.
Sacch. alb. scrup. ij.
m. f. pulv.

Nro. 18.

℞. Camphor. gr. xv.
Pulv. gumm. arab. dr. j.
mistis & in mortar. vitreo diu tritis add.
Aq. melissæ unc. iv.
Syr. kerm. unc. ß.
m. sum. omni bih. aut trih. cochl.

Nro. 19.

Nro. 19.

℞. Rad. ſerpentar. virg. unc. j.
Coccinell. gr. xx.
fund. deſuper aq. ferv. lib. jß.
ſtent infuſ. per diem in loco moder. calido, col. add.
Elæoſacch. cinnam. unc. ß.

Nro. 20.

℞. Spirit. corn. cerv.
Eſſent. caſtor. a gutt. xx.
Aqu. cort. aurant. unc. jß.
Syr. cort. aurant. unc. ß.
m. ſum. omni bih. aut trih. ½ coch.

Nro. 21.

℞. Vitriol. alb. dr. ß.
Solv. in unc. jß. aq. comm.

Nro. 22.

℞. Rad. alth. unc. ij.
Fol. — unc. j.

coq. p. ¼ hor. in aq. font.
colat. lib. ij. add.
Oxym. ſimpl. unc. ij.

Nro. 23.

℞. Kermes miner. gr. j.
Sacch. alb. ſcrup. j.
f. pulv.

Nro. 24.

℞. Bol. arm. unc. j.
Gumm. arab. dr. j.
Aq. flor. rhœad. lib. j.
Diacod. unc. j.

Nro. 25.

℞. Rad. ſalep. dr. iij.
coq. per ¼ h. in aq. col. lib. jß. add.
Diacod. unc. j.

Nro. 26.

Nro. 26.

℞. Rad. ſatyr. in pulv. red. unc. β.
ſolv. in unc. x. aq. calid.
add.
Diacod. unc. j.

Nro. 27.

℞. Rad. ſatyr. exſic. ſcrup. j.
Elæoſacch. cinnam. gr. x.
f. pulv.

Nro. 28.

℞. Rad. alth. unc. β.
Herb. malv. manip. j.
coq. c. lib. j. aq. ad reman. unc. ix.
add.
Olei amygd.
Mel. mercurial. aa unc. jβ.
m. pro clysm.

Nro. 29.

Nro. 29.

℞. Cort. peruv. rud. tus.
Lichen. island. aa unc. j.
coq. p. ½ h. in aq. font.
colat. lib. jβ. add.
Diacod. unc. jβ.

Nro. 30.

℞. Herb. salv. m. jβ.
inf. unc. x. aq. ferv.
teg. vas, donec infus. refrig.
colat. add.
Syrup. kerm. unc. β.

Nro. 31.

℞. Rad. alth. unc. β.
Herb. — m. j.
coq. c. lib. j. aq. ad reman. unc. ix.
add.
Olei amygd. unc. jβ.
Electuar. lenit. unc. j.
m. pro clysm

Nro. 32.

Nro. 32.

℞. Aq. comm. lib. iv.
Sacch. alb. unc. ij.
Elæosacch. citr. unc. ß.
Spirit. vitriol. q. s. ad gratiam.
m.

Nro. 33.

℞. Aq. comm. lib. iv.
Syr. rub. id. unc. iij.
Spir. vitriol. q. s. ad fortiorem acid.

Nro. 34.

℞. Cort. peruv. gros. modo tusi unc. j.
coq. p. ¾ h. in aq. sub fin. coct. Add.
Alliariæ
Scord. aa. m. j.
Colat. lib. jß. Add.
Vini lib. ß.
Aq. theriac. unc. iv.
m. lintea liq. hoc calid. madida parti gangrænosæ applicentur.

Nro. 35.

Nro. 35.

Ad parandum ſerum lactis difficulter quantitas ſpiritus vitrioli requiſita determinatur tam ob differentiam lactis, quam ipſius acidi, cum ſerum non raro ſaporem amariuſculum aut nauſeoſum ab acidis mineralibus aquirat.

Nro. 36.

℞. Cort. peruv. rud. tuſi unc. j.
coq. in lib. jß. aq. ad rem. unc. x. ſub fin. coct. Add.
Flor. chamom. pag. iij.
Col. exhib. pro clyſm.

Nro. 37.

℞. Cort. peruv. rud. tuſ. unc. jß.
Lim. mart. unc. ß.
Cinnam. dr. ij.
vitro anguſti colli immiſſis adfunde vini generoſi lib jß. colat. exhib.
Sum. bis aut ter de die unc. ij.

Nro. 38.

Nro. 38.

℞. Cort. peruv. in tenuis. pulv. red. unc. ß.
Extract. mart. pom. dr. ij.
Syr. cinnam. q. s. ut f. el. valde moll.
Sum. quater, quinquies de die cochl.

Nro. 39.

℞. Herb. absynth.
— — Cent. min. aa. dr. vj.
inf. aq. ferv. lib. ij. Stent. infus. donec
refrixer. col. Add.
Syr. card. bened. unc. jß.

Nro. 40.

℞. Rad. ipec. dr. j.
inf. per noct. in aq. unc. j.
Col. mane factæ. Add.
Elæosacch. cinnamom. dr. j.

Nro. 41.

℞. Rad. gram. unc. iij.
— — alth. unc. iß.

coq.

coq. per ¼ h. in aq. colat. unc. xx. Add.
Terr. fol. tart. dr. ij.
Oxym. ſimpl. unc. ij.
Sum. omni bih. aut trih. ½ vaſcul. theat.

Nro. 42.

℞. Gumm. arab. unc. ß.
Aq. fl. rhœad. lib. j.
Sum. omni bih. 2. cochl.

Nro. 43.

℞. Fl. malv. in pulv. gros. redact. lib. ß.
Coq. c. ſ. q. lactis in pultem, ſub fin.
Add.
Flor. ſamb. rud. tuſor. unc. j. ß.
ut f. l. a. catapl.

Nro. 44.

℞. Bacc. junip. tuſ. unc. ij.
inf. in aq. ſtil. junip. lib. ij.
dig. vaſ. clauſ. in loco moderate calido
per 3. h. Add.

Roob.

Roob. junip. unc. ij.
colat. exhib.

Nro. 45.

℞. Tinct. aquoſ. rhei unc. IV.
Ter. fol. tart. dr. iij.
Oxym. ſcill.
Syr. cinn. aa. unc. iß.
m. ſum. 2. cochl. omni 3tia aut 4ta hor.

Nro. 46.

℞. Rad. cichor.
Herb. tarax.
Tamar. aa. unc. ij.
coq. in aq. per ¼ h. col. lib. ij. Add.
Ter. fol. tart. dr. ij.
Syr. 5. rad. unc. iij.
Succ. citr. unc. j.
Spirit. nitr. dulc. gutt. xxx.
m.

℞. Tarax. recent. c. toto part. iij.
Acetoſ. part. j.

Exprim. inde ſucc. unc. iij. Add.
Ter. fol. tart. dr. j.
Syrup. de cinnam. dr. vj.
m. ſum. pro doſi.

Nro. 47.

℞. Gumm. ammoniac.
— — galb.
Extract. cent. min. aa. dr. ij.
— — rhei.
Sal. polychr. aa. dr. j.
f. l. a. pil. gr. iij.
Sum. ter de die v.

Nro. 48.

℞. Cort. peruv. alcohol. dr. vj.
Sal. polychr. dr. ij.
Syr. de cinn. unc. j.
Aq. calaminth. unc. viij.

Nro. 49.

℞. Pulv. cort. peruv. minutis. unc. j.
f. c. ſ. q. ſyr. de cinnam.
Bol. nro. xij. Nro.

Nro. 50.

℞. Cort. peruv. rud. tuſ. unc. j.
coq. in lib. jβ. aq. ad rem. unc. IX.
d. pro clyſm.

Nro. 51.

℞. Roob junip.
— — Samb. aa. unc. ij.
Oxym. ſcill. unc. j.
Pulv. cent. min. unc. β.
Sal. abſinth. dr. ij.
Syr. menth. q. ſ. ut f. el. vald. molle.
Sum. ter de die cochl.

Nro. 52.

℞. Zingib. cond.
Theriac. diates. aa. unc. j.
Syr. de cinn. dr. vj.
Sum. omni 4ta hor. dr. j.

Nro. 53.

℞. Styrac. calamit.
Benzoes
Succin. aa. unc. ß.
in fruſtula minora leniter contrita exhibe pro ſuffimigio.

Nro. 54.

℞. Cremor tart. dr. ij.
bulliant in lib. iv. aq. comm. ad perfectam ſolutionem. Add.
Sacch. unc. ij. vel quantum pro grata dulcedine ſufficit.
Succ. citr. ex mal. decorticat.
recenter preſſ. unc. j.
Exhib.

Nro. 55.

℞. Herb. acanth. moll.
— — alth. aa. m. j.
Flor. ſamb.
— — melilot. aa. m. ß.
Rad. ſymphyt. maj.

Nucl.

Nucl. lappæ min. aa. unc. β.
bull. uno alterove min. in aq. lib. ij.
colat. Add.
Mell. rosac. unc. j.
m.

Nro. 56.

℞. Juris carn. unc. vj.
Nitr. pur. gr. v.
Spirit. sal. gutt. iij.
m.

℞. Lact. recent. unc. vj.
Vitel. ovi nro. j.

Nro. 57.

℞. Herb. plantag. latif.
— — Sanguisorb. aa. m. jβ.
Flor. rosar. rubr. m. j.
coq. c. lib. jβ. aq. font.
facta una alterave ebull. cola & add.
Oxym. simpl. unc. jβ.

Nro. 58.

℞. Rad. gram. unc. iv.
coq. in mens. j. aq. ad rem. lib. iij.
infund. ferv. supra
Flor. samb. m. jß.
post refrigerationem cola & ad.
Oxym. simpl. unc. ij.
— — Scill. unc. j.
m.

Nro. 59.

℞. Herb. rut.
— — scord.
— — alliar. aa. m. ß.
inf. cum aq. ferv. lib. jß.
liq. refrig. col. ad.
Mel. rosac. unc. j.
Spirit. sal. acid. gutt. x. aut xv. prout spiritus plus minus fortis deprehenditur.

Nro.

Nro. 60.

℞. Fol. ſalv. m. ij.
Flor. roſar. rubr. m. j.
inf. c. lib. ij. aq. ferv.
col. refrig. add.
Liquor. anod. min. gutt. xxx. ad xl.

Nro. 61.

℞. Cort. lign. ſanct. unc. j.
Ebull. in lib. iij. aq. ad conſumpt. lib. j.
fervens decoct. inf. ſupra
Raſur. lign. ſaſſafr.
— — Santal. citrin. aa. unc. ß.
Sem. aniſ. ſtellat. dr. ij.
Cola poſtquam infuſum refrixerit.

Nro. 62.

℞. Baccar. juniper. tuſ. unc. ij.
inf. in aq. ſtillat. juniper. lib. ij. diger.
vaſe clauſ. in loco moder. calido
per 3. hor. add.
Roob juniper. unc. ij.
Oxym. ſcill. unc. jß.

℞. Sumitat. abſinth. vulg. unc. ij.
Rad. calam. aromat.
— — gentian.
— — imperator. aa unc. j.
Baccar. laur. unc. jß.
— — juniper. unc. iij.
Sem. dauc. cret. unc. j.
ſciſſa, tuſa, miſta
infund. calide vaſe clauſo in vini bon. vel & hydromelitis lib. viij. per 24 hor.

℞. Scill. recent. unc. ß.
Cortic. cinnam. unc. j,
infund. in lib. ij. vin. bon.

℞. Milleped. vivor. unc. j.
Scill. dr. jß.
Vin. auſtriac. lib. j.
contus. infund. per 24 hor. ſæpe vas agitando: add.
Syrup. cinnam. unc. ij.
ſum. omni trih. aut quadrih. ij. cochl.

Nro. 63.

Nro. 63.

℞. Resin. jalap. gr. xj.
solv. in s. q spirit. vin. add.
Elæosacch. aurant. q. s.

℞. Extract. panchymag. gr. x.
Resin. jalap. pin. subact.
Scammon. aa gr. vj.
m. c. s. q. spirit. vin. f. pil. unc. viij.
deargent.
sum. pro una dosi.

Nro. 64.

℞. Rad. imperator. dr. ij.
— — pyrethr.
— — zingib.
— — pimpinell. alb. aa dr. ß.
Piper.
Caryoph. aa gr. xv.
Mastich. unc. jß.
m. f. pulv. grossus, cujus gr. xv. aut xx. linteo obvolvi & pro masticatorio exhiberi possunt.

Nro. 65.

℞. Gumm. ammoniac. pur. unc. ß.
Extract. enul. dr. ij.
— — mart. pom. dr. j.
m. f. pil. gr. ij. aut iij.

Nro. 66.

℞. Rad. gram. unc. iij.
— — alth. unc. ij.
coq. per ¼ h. in aq. font.
colat. lib. ij. add.
Nitr. pur. dr. j.
Oxym. ſimpl. uñc. ij.

Nro. 67.

℞. Flor. arnic. dr. jß.
infund. aq. ferv. per ½ hor.
colat. lib. j. add.
Syrup. de duab. unc. j.
ſum. omni bih. aut trih. 2 cochl.

Nro. 68.

Nro. 68.

℞. Flor. arnic. unc. j.
coq. per ¼ hor. in aq. font.
col. lib. ij. detur pro fomento.

Nro. 69.

℞. Olei amygd. recent. unc. jß.
ſolv. leni calore
Spermat. cet. dr. jß.
add. demum
Syr. papav. alb. aut rhœad. unc. j.
& continuo agit. donec omnia ſimul refrigerata linctum æqualiter mixtum conſtituant.

Nro. 70.

℞. Aq. fœnicul. unc. vj.
Gumm. ammon. pur. c. vilel. ovi optime ſubact. dr. iij.
Syrup. hyſſop. unc. j.
ſum. omni bih. aut trih. 2 cochl.

Nro. 71.

Nro. 71.

℞. Lap. cancror. gr. xv.
Kerm. mineral. gr. j.
Camph. cum gr. xx. ſacch. tritæ gr. β.
m. pro doſi.

Nro. 72.

℞. Camph. gr. xv.
Pulv. gumm. arab. dr. j.
miſt. & in mortario vitreo diu tritis
add.
Aq. meliſſ. unc. vj.
Extract. cort. peruv. unc. β.
Syrup. kerm. aut ſyr. cort. peruv.
pharmac. altenburg. unc. ij.
ſum. omni bih. aut trih. 2 cochl.

Nro. 73.

℞. Rad. ipecacuan. gr. xij.
Tartar. emet. gr. j.

Nro. 74.

Nro. 74.

℞. Pulv. gumm. arab. dr. j.
ſolv. in ſ. q. aq. bull. quam evaporatione reduc in mucilag. ſpiſſioris conſiſtentiæ admiſc. dein
Mucil. ſem. cydon. cum aq. roſar.
extract. unc. j.
Syr. alth. unc. iij.

Nro. 75.

℞. Extract. liqurit. dr. ij.
Olib.
Styrac. calamit.
Balſam. copayb. aa dr. j.
m. f. pil. gr. iij.

Nro. 76.

℞. Rad. bardan. unc. ij.
coq. per ¼ hor. add.
Hyſſop.
Flor. ſamb. aa unc. j.
infund. per ⅛ hor.
colat. lib. ij. add.

Nitr.

Nitr. dr. β.
Oxym. ſcill. unc. j.
— — ſimpl. unc. ij.

Nro. 77.

℞. Stipit. dulcamar. unc. ij.
ſciſſ. & leviter tus.
infund. ſ. q. aq. ferv. per ½ hor.
dein momento ebull.
colat. libr. ij. add.
Oxym. ſimpl.
Syrup. flor. rhœad. aa unc. j.
m. ſum. omni trih. unc. iij.

Nro. 78.

℞. Gumm. ammoniac. unc. β.
Extract. trifol. fibrin. dr. ij.
— — enul. dr. j.
f. l. a. pil. gr. iij.
deargent.
ſum. quater de die v.

Nro. 79.

Nro. 79.

℞. Rad. gramin. unc. IV.
— — acetos.
Tamarind. aa. unc. ij.
coq. per ¼ hor. in aq.
colat. lib. ij. Add.
Sal mirab. Glaub. unc. j.

Nro. 80.

℞. Sapon. venet. unc. ß.
Gumm. ammoniac. dr. ij.
Extract. rhei.
Sal. polychr. aa. dr. j.
f. l. a. pil. gr. iij.
ſum. quater de die vj.

Nro. 81.

℞. Rad. alth. unc. ß.
Sem. lin. rud. tuſ. dr. ij.
docoq. in lib. j. aq. font. ad rem. unc. viij.
Add.
Mel. dr. vj. vel unc. j.
pro clyſm.

Nro.

Nro. 82.

℞. Agrimon.
Virg. aur.
Sumitat. hyperic aa. part. æqual.
infund. aq. ferv. instar potus thee.

Nro. 83.

℞. Unguent. calend. unc. j.
Camphor. dr. j.
Olei menth. destil. dr. β.
m.

Nro. 84.

℞. Emplastr. stomach. ord.
— — de bacc. laur. aa. part. æqual.
m.

Nro. 85.

℞. Sem. 4. cal. min. aa. unc. β.
inf. aq. ferv. per ⅛ hor.
colat. lib. ij. Add.
Sal. therm. carolin. unc. j.
Syrup. fœnic. unc. ij.

Nro.

Nro. 86.

℞. Olei menth. gutt. x.
f. c. ſacchar. unc. j. fiat l. a. elæoſacch.
Add.
Aq. menth. unc. x.
ſum. ſæpius 2. cochl.

℞. Herb. menth.
— — meliſſ. aa. m. j.
inf. aq. ferv. lib. jß.
operiatur vas
dein frigido infuſo add.
Syrup. menth. unc. ß. vel. dr. vj.
m.

Nro. 87.

℞. Extract. cort. peruv. reſin.
— — mart. pom.
Gumm. galban. aa. dr. ij.
Piper. contus. dr. ß.
f. l. a. pil. gr. iij.
deargent.
Sum. ter. de die vj.

Nro. 88.

℞. Rad. ipecacuan.
Rhei elect.
Cryst. tartar. aa. scr. ß.

Nro. 89.

℞. Sal. absint. scr. ij.
Succ. citr. q. s.
m. sum. in actu effervescentiæ.

A.324